

[redacted]

DE

PAROMOEOSEOS (ADLITTERATIONIS)

APUD VETERES ROMANORUM POETAS USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS BUCHHOLD,

OSSENHEMIENSIS.

LIPSIAE.

TYPIS A. TH. ENGELHARDTI.

MDCCCLXXXIII.

[redacted]

OTTONI RIBBECK

SACRUM.

[redacted]

Isocr. Panath. 2. *Νεώτερος ὢν . . . περὶ ἐκείνους (λόγους) ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ δὲ πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν.*

Cic. or. XII, 38. Datur etiam venia concinnitati sententiarum et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur, *de industriaque et non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia comparenturque contraria et ut pariter extrema terminentur eundemque referant in cadendo sonum.*

§ 1. Cogitanti mihi de necessitudine artium poeticae et oratoriae illud Aristotelis venit in mentem quod in rhetoricis III, 1, p. 109, 24. S. de oratorum prima elocutione ‚*ἐπεὶ δὲ οἱ ποιηταί*, inquit, *λέγοντες εὐήθη διὰ τὴν λέξιν ἐδόκουν πορίσασθαι τήνδε τὴν δόξαν διὰ τοῦτο ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις, οἷον ἡ Γοργίου*'. Quocum loco conferre licet quod Cicero or. XII, 39, de primis oratoribus: ‚quorum satis arguta multa, sed ut modo primumque nascentia minuta et *versiculorum similia quaedam nimiumque depicta*'. Atque Dionys. Halic. VI, 760, 10. R. elocutionis figuras et in primis Gorgianas *poeticas* appellat. Ut autem Aristoteles oratorum elocutionem initio poeticam fuisse censet, ita inter omnes constat, poetas postea adeo non alienos fuisse a rhetoribus, ut eorum etiam scholas adirent. Ipsius quidem Gorgiae discipuli fuisse feruntur Agathon tragicus, et Critias elegacius, quem eundem etiam tragoedias fecisse memoriae traditum est. Philostr. *βίοι σοφ.* p. 12, 5 Kayser ‚*ὁ δὲ οἶμαι, καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἀνηρτήσατο Κριτίαν μὲν καὶ . . . . . καὶ Ἀγάθων δὲ ὁ τῆς τραγῳ-*

δίας ποιητής, ὃν ἡ κωμῳδία σοφόν τε καὶ καλλιοεπῆ οἶδε πολλαχοῦ τῶν ἰάμβων γοργιάζει'. Ceterum videas quod Platon Symp. 198. C. Socratem memorantem facit de Agathone: ‚καὶ γάρ με Γοργίου ὁ λόγος (Ἀγάθωνος) ἀνεμίμνησκεν, ὥστ' ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρου ἐπεπόνθη· ἐφοβούμην μή μοι τελευτῶν ὁ Ἀγάθων Γοργίου κεφαλὴν δεινοῦ λέγειν ἐπὶ τὸν ἐμὸν λόγον πέμψας αὐτόν με λίθον τῇ ἀφωνίᾳ ποιήσειεν'. Consentaneum igitur est, artes poeticam et rhetoricam ea ratione conexas esse inter se, ut cum ars poetica ad primordia artis rhetoricae maxime valuerit, tum ars rhetorica ingeniose exculta celeriterque adulta inde non parvo momento fuerit ad artem poeticam. Ut autem arctius illam necessitudinem describam: praecipue conspicitur ea in *lexi* sive elocutione (cf. Arist. l. l.), cuius ornandae rationem per primos oratores a poetis repetitam atque continuo ad artem redactam poetae postea ab ipsis rhetoribus repetiverunt atque, quemadmodum illorum praeceptis fuit aucta, in suum usum vindicaverunt. Maxime hoc pertinet ad poetas scaenicos, quibus, ut aures audientium elocutionis concinnitate delectarentur, aeque curae fuit atque oratoribus. Romanorum quidem veteres poetae scaenici ita rhetorum praecepta persecuti sunt, ut qua fuit novitate apud Romanos usus elocutionis exornandae, nonnullas figuras fere immodice adhibuerint.

Atque hanc disputationem esse volo de veterum Romanorum poetarum usu *paromoeoseos*. Non autem id ago, ut demonstrem, quam saepe vel crebro illi poetae varias paromoeoseos rationes adhibuerint, etsi de hac re strictim adnotabo; sed omnem operam atque curam conferam in certas huius usus normas constituendas. Quaeretur igitur, num paromoeoseos in *thesibus* conlocandae eandem poetae consecuti sint frequentiam atque in *arsibus*; utrum omnes pedes omnesque arses *parem inter se habere vim* voluerint necne.

Sed ut totius disciplinae firmum ponatur fundamentum, ipsa ex illa de qua cogitavi poetarum et rhetorum quasi propinquitate apparet, huic disputationi initium ducendum esse *a veterum rhetorum praeceptis*. Atque ut paromoeoseos fines quantum fieri potest accurate determinem, non solum varias eius figurae rationes, sed etiam finitimarum ut parecheseos et paronomasiae atque omnino omnium figurarum, quae ad similitudinem quandam et aequalitatem verborum vel colorum spectant, vim ac notionem ex veteribus rhetoribus grammaticisque exhibebo.

[redacted]

Cap. 1.

De veterum doctrina.[1])

§ 2. Iam iuvabit artis vocabulorum quae tractabo conspectum hunc praemisisse.

I. Verba generalia.

1. *Γοργίεια σχήματα*, Dion. Halic. VI, 760; schol. Thuc. I, 2 et 144.
2. *ἴσα*, Plat. Symp. 185. C.
   τὰ ἴσα σχήματα Herm. *π. μεθ. δειν.* p. 417. Walz.
3. similia Quint. IX, 3, 75.

II. Verba specialia.

A. Vocabula quae ad orationis paria vel fere paria membra pertinent.

1. *παρίσωσις*, Arist. Rh. III, 9, p. 123. Sp.
   πάρισον, idem, Quint. IX, 3, 75.
   compar Cornif. IV, 20, p. 154, 3. K.
2. *ἰσόκωλον* Demetr. *π. ἑρμ.* § 25, p. 15. W. Quint. IX, 3, 80. Aq. Rom. p. 30, 5. H.
   ἰσοσυλλαβία Men. *π. ἐπιδ.* IX, p. 137. W.
   ἰσοσύλλαβον Tiber. VIII, p. 562. W., schol. ad Herm. *π. ἰδ. α'.* VII, 1039. W.

B. Paromoeoseos genera rationesque.
{*παρομοίωσις*, Arist. Rh. III, 9, p. 123. Sp.
{*παρίσωσις*, Hermog. p. 284, 3. W.

I. *παρομοίωσις κατὰ μέρος λόγου*, Io. Sic. VI, p. 328, 8. W.

1. *παρομοίωσις κατ' ἀρχὴν τῶν ὀνομάτων*:
   {*ὁμοιόαρκτον*, Max. Plan. V, p. 511, 4. W.
   {parhomoeon, Charisius p. 282, 7. K.

---

1) Io. Ch. Th. Ernesti, ‚lex techn. Graec. et Rom. rh.'
Ger. Io. Voss, ‚or. inst.', l. IV et V.
Naeke, ‚de alliteratione', M. Rh. III (1829), p. 326 sq.
Maehly, ‚Ueber Allit.', N. S. M. 1864, p. 217 sqq.
Volkmann, Rhetorik, p. 396—416.

2. παρομοίωσις κατὰ τέλος τῶν ὀνομάτων:
ὁμοιοκατάληκτον κατὰ μέρος λόγου, Herod. VIII, p. 476. W.
a. ὁμοιόπτωτον κ. μ. λ. Diom. p. 447, 12. K.
b. ὁμοιοτέλευτον κ. μ. λ. M. Claud. p. 459, 3. K.

II. παρομοίωσις κατὰ κῶλα, Io. Sic. VI, p. 328, 8.
παρόμοια κῶλα, Demetr. π. ἑρμ. § 25, p. 15, 13. W.
1. παρομοίωσις κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων:
a. ὁμοιοκάταρκτον, Dion. Hal. ap. Max. Plan. V, p. 551, 4.
b. ἐπαναφορά, Herm. π. ἰδ. α'. p. 284, 11; repetitio Corn. IV, 13, p. 143, 14. K.
2. παρομοίωσις κατὰ τέλος τῶν κώλων:
a. ὁμοιοκατάληκτον κ. τ. τ. κ.:
α. ὁμοιόπτωτον κ. τ. τ. κ. Tib. VIII, p. 562, 10.
β. ὁμοιοτέλευτον κ. τ. τ. κ. Zon. p. 687, 4.
ὁμοιοτελευταῖον, Tib. p. 562, 4.
similiter cadens, similiter desinens Corn. IV, 20, 28, p. 154 sq. K.
b. ἀντιστροφή, Herm. π. ἰδ. α'. p. 285, 6; conversio, Corn.
(3.) παρομ. κατ' ἀρχήν τε καὶ κατὰ τέλος τῶν κώλων:
συμπλοκή, Alex. p. 464, 13.

C. Vocabula quae omnino ad verborum similitudinem pertinent.
1. παρήχησις, Herm. π. εὑρ. δ'. p. 169, 7.
2. παρονομασία, Herm. p. 323, Alex. p. 477, 3.
3. πάρισον, Herm. π. μεθ. δειν. c. XVI, p. 421.
4. παρηγμένον, J. Ruf. p. 51, 33. H.
5. πολύπτωτον, Herm. p. 288, 17.

D. Vocabula quae ad repetitionem eiusdem vocis spectant.
1. ἐπαναστροφή, Herm. p. 286, 1.
2. ἐπίζευξις, Herod. p. 603, 13. W.
3. ἀναδίπλωσις, Zon. p. 682, 1. W.
4. πλοκή, Alex. p. 479, 9.
5. ἐπανάληψις, Char. p. 281, 18. K.

Praeter quae etiam alia similitudinis, aequalitatis repetitionis significandorum verba apud veteres extant, quae infra proferam. Haec autem ipsa quae adhuc protuli saepe aliam apud alium rhetorem vel grammaticum habent vim. Nec mirum profecto quod parum per se distincta artis vocabula alia ab aliis notione accepta

[redacted]

sunt. Ac ne veteres quidem praeteriit rhetores, quam fluxae essent notiones earum quibus utebantur vocum. Rutilius Lupus quidem elocutus est ‚parhomoeon et homoeoteleuton et homoeoptoton fere non multum inter se distare', unde factum est, ut illarum figurarum definitionem constitueret minime accuratam.

§ 3. Primum igitur *de verbis generalibus* paucis mihi memorandum est.

Atque quod similes figurae nomine Gorgiae[1]) significantur a schol. Thuc. I, 2: ‚τὸ δὲ σχῆμα τοῦ ὁμοιοκαταλήκτου Γοργίειον καλεῖται', 144: ‚ἐπὶ πλέον ἐνταῦθα τῶν ἄλλων ἡ Γοργίειος ἐλήφθη παρίσωσις', idemque ‚Γοργίεια σχήματα' vocabulum invenitur apud Dion. Hal. VI, p. 760, 10. R. ‚σχήμασί τε ποιητικοῖς ἐσχάτην προςβάλλουσιν ἀηδίαν καὶ μάλιστα τοῖς Γοργιείοις' = 966, 15, cf. etiam 1033, 7; apud Phot. c. 168, p. 116b, 14: ‚τὸ δὲ λίαν προςκορὲς τῆς τροπῆς καὶ τῶν γοργιείων σχημάτων'; quo etiam illud Ciceronis referendum est or. LII, 175: ‚paria paribus adiuncta et similiter definita itemque contrariis relata contraria . . . *Gorgias primus invenit*': nemo quidem Gorgiam artis inventorem fuisse concedet, si Aristotelem viderit non solum non dubitasse παρομοιώσεως κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων (homoeocatarcti) exemplum ex ipso Homero[2]) repetere Rh. III, 9, p. 123. Sp., sed etiam illo loco quem supra (p. 5) protuli Rh. III, 1, p. 109, 24, satis plane elocutum esse primos oratores et Gorgiam lexin suam in poetarum modum formavisse. Sed etsi Gorgias non putari potest, similes figuras invenisse, tamen ad artem rhetoricam non parvi fuit momenti, cum *primus paria ac similia adhibuisse videatur ad orationem solutam exornandam atque exacuendam.* Quod idem confirmat Suidas in lexico s. v. Γοργίας: ‚οὗτος πρῶτος τῷ ῥητορικῷ εἴδει τῆς παιδείας δύναμίν τε φραστικὴν καὶ τέχνην ἔδωκε, τροπαῖς τε καὶ μεταφοραῖς καὶ ἀλληγορίαις καὶ ὑπαλλαγαῖς καὶ καταχρήσεσι καὶ ὑπερβάσεσι καὶ ἀναδιπλώσεσι καὶ ἐπαναλήψεσι καὶ ἀποστροφαῖς καὶ παρισώσεσιν ἐχρήσατο'. Diodorus Sic. XII, 53, cum Gorgiam legatum a Leontinis Athenas venisse narrat ‚πρῶτος γὰρ ἐχρήσατο, ait, τῆς λέξεως σχηματισμοῖς περιττοτέροις καὶ τῇ φιλοτεχνίᾳ διαφέρουσιν ἀντιθέτοις καὶ ἰσοκώλοις καὶ παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις καί τισιν ἑτέ-

1) H. E. Foss, ‚de Gorg. Leont.', p. 54 sqq.

2) R. Buchholz, ‚De allitterationis indole atque natura ususque Homerici lineamenta'; item Maehlyus l. l. veteribus poetis Graecis operam dedit.

ροις τοιούτοις, ἃ τότε μὲν διὰ τὸ ξένον τῆς κατασκευῆς ἀποδοχῆς ἠξιοῦντο ...' Atque Aquila Rom. p. 29, 23. H. ‚sunt igitur figurae elocutionis aliae ad ornandum tantum et quasi ad pingendam orationem accomodatae: *quibus princeps Gorgias Leontinus usus est* sed sine modo'. Quod si Cicero or. XII, 39, praeter Gorgiam etiam Thrasymachum in hac re primum versatum esse memorat: ‚haec (ad voluptatem aurium scribendi genus) tractasse Thrasymachum Calchedonium primum et Leontinum ferunt Gorgiam, Theodorum inde Byzantium multosque alios quos λογοδαιδάλους appellat in Phaedro Socrates', in his tot tantisque testimoniis, quibus Gorgias princeps artis fuisse memoriae traditur, praesertim cum ipse Cicero alio loco LII, 175, Gorgiam inventorem artis nominet, non valet ad Gorgiae principatum deminuendum. Immo vero Thrasymachum, qui aetate Gorgia posterior fuisse videtur, ab hoc didicisse iudicare licet. Quae cum ita sint haud plane egerunt perverse Diodorus, Photius, scholiastes Thucydideus, cum paria ac similia appellaverunt nomine Γογιείων σχημάτων. Si autem quaerimus de singulis figuris quae illo nomine comprehendantur, a Diodoro Gorgias primus usus esse dicitur antithetis, isocolis, parisis, homoeoteleutis, aliis; atque de eisdem cogitat Cicero; novem figuras nominat Suidas, in quo numero ἀναδίπλωσιν, ἐπανάληψιν, παρίσωσιν.[1]) Ex fragmento vero encomii, quod Dion. Halic. ‚ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ χαρακτήρων' profert apud Max. Plan. schol. ad Herm. π. ἰδ. β'. p. 548 sqq. W.[2]) Gorgiam videmus praecipue versatum esse in *antithetis*, quibus quidem abundat illud fragmentum: ‚τί γὰρ ἀπῆν τοῖς ἀνδράσι τούτοις, ὧν δεῖ ἀνδράσι προσεῖναι; τί δὲ καὶ προςῆν, ὧν οὐ δεῖ προσεῖναι'; quae sententia, quae ipso in initio fragmenti invenitur, eadem *symploces* exemplum est. Atque antitheta, quae fere *isocola* fecit Gorgias, amplius distinxit *paromoeosi* (parisosi) vel κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων (homoeocatarcto): ‚λαθὼν μὲν τὴν θείαν νέμεσιν, φυγὼν δὲ τὸν ἀνθρώπινον φθόνον'. vel κατὰ τελευτὴν τῶν κώλων (homoeocatalecto): ‚θεράποντες μὲν τῶν ἀδίκως δυστυχούντων, κολασταὶ δὲ τῶν ἀδίκως εὐτυχούντων', et ‚Διὸς μὲν ἀγάλματα, τούτων δὲ ἀναθήματα'. Neque *polyptoton* neque *paregmenon* omisit: ‚τοιγαροῦν αὐτῶν ἀποθανόντων ὁ πόθος οὐ συναπέθανεν, ἀλλ' ἀθά-

1) παρίσωσις a Suida ratione Hermogenea intellecta pro Aristotelea paromoeosi est.

2) cf. Blass, ‚Att. Ber.' I, p. 61 sqq.

νατος ἐν ἀσωμάτοις[1]) *σώμασι ζῇ οὐ ζώντων*', ita ut cum hoc parvo fragmento tot figurarum usus confirmetur, Gorgias ne aliis quidem similibus abstinuisse putari possit.

ἴσα deinceps, de quibus Plato Symp. p. 185. C.: *Παυσανίου δὲ παυσαμένου — διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοί*' ad syllabarum vel sonorum aequalitatem referenda esse video.[2]) Eadem generali voce utitur Hermogenes, qui *π. μεθ. δειν.* XIII, p. 417, cum ‚*περὶ ἴσων σχημάτων* disputat, tres eorum species constituit, agonisticam, epidicticam, sophisticam: ‚*ἀγωνιστικὰ μέν ἐστιν*, inquit, *ὅταν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων συνδράμῃ ἔξωθεν πάρεργον* ... *ἐπιδεικτικὰ δέ ἐστιν, ὅταν τὰ ἀγωνιστικὰ πολλὰ γένηται καὶ ἐπιτηδευθῇ εἰδημόνως εἰς ἡδονὴν ἀκοῆς σώφρονα* ... *σοφιστικὰ δέ ἐστιν, ἃ νῦν μὲν ἐπαινεῖται, ὑπὸ δὲ τῶν παλαιῶν κωμῳδεῖται, ὅσα αἰσχρῶς καὶ κενῶς κολακεύει τὴν ἀκοὴν ἃ Πλάτων διαβάλλει*'. Atque agonisticam rationem exemplis inlustrat et *homoeocatarcti et homoeocatalecti κατὰ κῶλα* ut Hom. Il. *α'* 141—144, ubi *ἐρύσσομεν—ἀγείρομεν* ante caesuram bucolicam, *θείομεν—βήσομεν* in initio versuum leguntur, Dem. *π. παραπρ.*, p. 343, ubi *ἀπηγγελκότα—εἰληφότα* in fine, *κεκωλυκότα—ἀνηλωκότα* in initio colorum extant. Item ex Homero et Demosthene repetit exempla *epanastrophes κατὰ συλλαβήν*: Il. *β.* 758 — — *Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν. π. παραπρ.*, p. 418, *ἐρρῶσθαι πολλὰ φράσας τῷ σοφῷ Σοφοκλεῖ.* Sophisticam autem rationem duobus *parecheseos* exemplis a Platone repetitis explicat: Gorg. p. 467. B. ‚*ὦ λῷστε Πῶλε, ἵνα προςείπω σε κατά σε*', ubi ‚*σέ κατά σε*' *anadiplosis* non minus ex voluntate Platonis esse videtur; Symp. p. 185. C. ‚*Παυσανίου δὲ παυσαμένου*' *κτλ.* Epidicticae vero speciei exemplis non positis Isocratem nominasse satis habet: ‚*ὥσπερ τὰ παρ' Ἰσοκράτει ἴσα, τὰ ἐν ταῖς παραινέσεσι μάλιστα*'.

Similium fere quadruplicem rationem esse Quintilianus statuit de inst. or. IX, 3, 75; distinguit autem inter *πάρισον, ὁμοιοτέλευτον, ὁμοιόπτωτον, ἰσόκωλον.* Atque parisi amplissimam rationem hanc statuit: ‚nam est primum quotiens verbum verbo non dissimile valde quaeritur ut puppesque tuae pubesque tuorum[3]) ...' quod quidem parecheseos est, ‚aut certe par et extremis syllabis consonans: non

1) *ἐν οὐκ ἀσωμάτοις* Mon. 8, Par. 2916, 2918.

2) Frustra Maehlyus p. 218 quaesivit *quam* figuram Plato hoc loco imitatus esset.

3) Verg. Aen. I, 399.

verbis, sed armis ..' quod parison est cum homoeocatalecto coniunctum. De homoeoteleuto, homoeoptoto, isocolo, quae satis bene definivit, infra quaeram.

Haec sunt generalia vocabula, quae a *veteribus* laudata habemus. E quibus quoniam hoc vel illud mihi recipiendum est, Quintiliani ‚similia' coniungo cum Platonis Hermogenisque ‚ἴσοις' — non enim placet ‚Γοργίεια σχήματα' vocabulum nimis rhetoricum — atque illo Platonis latine reddito ‚*paria ac similia*' ad omnes repetitionis aequalitatis similitudinis figuras pertinere volo.

§ 4. Secuntur nomina *specialia*. Quorum *ea pars quae ad orationis paria vel fere paria membra spectat*, non multum sibi postulat disputationis. Non quidem discernit Aristoteles inter paria et fere paria cola, sed omnino παρίσωσιν esse ait Rh. III, 9, p. 123, 23, ‚ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα', nec Ciceronis ‚paria paribus adiuncta', or. 52, 175, aliter intellegi possunt. Differentiam autem constituit Aquila Romanus, qui p. 30, 5 et 12, ἰσόκωλον exaequatum membris, πάρισον prope aequatum esse memorat. ‚Πάρισον' in latinum vertens Cornificius IV, 20, 27, p. 154, 3. K. ‚conpar', ait, ‚appellatur, quod habet in se membra orationis, de quibus ante diximus, quae constant ex pari fere numero syllabarum'. Sed accuratam dinumerationem aspernatur: ‚hoc non dinumeratione nostra fiet — nam id quidem puerile est, sed tantum adferet usus et exercitatio facultatis, ut animo quodam sensu par membrum superiori referre possimus'. Exemplorum quibus figuram inlustrat, alterum tricolum est, bipartitum alterum: isocola sunt ambo. ‚in proelio parens mortem oppetebat, domi filius nuptias conparabat, haec omnia graves casus administrabant'; ‚alii fortuna dedit felicitatem, huic industria virtutem conparavit'. Non fugit Cornificium huius figurae aequalitatem non magis in numero quam in quantitate syllabarum positam esse; quod amplius circumscribit hisce: ‚in hoc genere saepe fieri potest, ut non plane par sit numerus syllabarum, et tamen esse videatur, si una aut etiam altera syllaba est alterutrum brevius, quom in altero plures, in altero longior aut longiores, plenior aut pleniores syllabae erunt, ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius adsequatur et exaequet.'

Ab uno Menandro ἰσοσυλλαβία memoratur π. ἐπιδ., cap. III, p. 137, 7. W: ‚ὁ δὲ Ὅμηρος κλητικῷ κέχρηται τῷ εἴδει μετὰ τῆς ἰσοσυλλαβίας, ἐν οἷς ὁ Χρύσης εὔχεται τῆς Ἰλιάδος ἐν τοῖς πρώτοις

(α΄. 37): (*Κλῦθί μευ Ἀργυρότοξ'*), ὃς *Χρύσην ἀμφιβέβηκας, Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις*. Quo loco ‚*ἰσοσυλλαβία*' commatum nempe aequalitatem significat, non ut Walzio placuit verborum [1]. Praeterea in eandem sententiam accipitur *ἰσοσύλλαβον* a Tiberio VIII, p. 562, 7. W., et ab anonymo VII, p. 1039, 1, Ioanneque Sicelio VI, p. 328, 19, scholiastis ad Herm. *π. ἰδ. α΄*. Tiberius autem ‚*ὁμοιοτελευταίου*' exemplum illud Isocrateum Hel. enc. 9. ‚*καὶ τοῦ μὲν ἐπίμονον καὶ ἐπικίνδυνον τὸν βίον ἐποίησε, τῆς δὲ περίβλεπτον καὶ περιμάχητον τὴν φύσιν κατέστησεν*', *ἰσοσύλλαβον* esse monet ‚*καὶ ὅμοιον τῷ τόνῳ*'. Item anonymus de homoeoteleuti exemplo Demostheneo *κ. Ἀνδροτ.* in., quo Hermogenes p. 281, 9 usus est, *ἰσοσύλλαβα* esse memorat tria eius cola. Nec minus Ioannes Sic. isosyllabon coniungit cum homoeoteleuto: ‚*ὅταν τὰ κῶλα μετὰ τοῦ ὁμοιοτελεύτου καὶ ἰσοσύλλαβα ὦσιν*'. [2]

De paromoeosi.

§ 5. De artis *nomine*, quod proponendum est, ne omittam: duo artis vocabula generalia inveniuntur, quorum unum ab Aristotele Rh. III, 9. p. 123. Sp., alterum ab Hermogene *π. ἰδ. α΄*. p. 284, 3. W. posita sunt, *παρομοίωσις* et *παρίσωσις*. Atque ante Hermogenem rhetores Aristoteleam laudatam habebant *παρομοίωσιν*; quod autem postea in omnium usu fuit *παρίσωσις*, quanta fuit Hermogenis apud posteriores auctoritas, mirum non est. *Παρομοίωσις* post Aristotelem cum ab aliis tum a Dyonysio Halicarnassensi non semel ac fere cum antithesi et parisosi coniuncta laudatur: de Lys. c. 14, p. 483. R., de Iocr. c. 2, p. 539, c. 15, p. 561. al. l. De ‚paromoeis colis' cogitat Demetrius *π. ἑρμ.* § 25. p. 15, 13. W. Praeterea *παρομοίωσις*

---

1) p. 137, adn. 18: ‚Mihi quidem *ἰσοσυλλαβία* in voce *Χρύσης* et *Χρύσην* a Menandro quaeri videtur.'

2) Cum pariso poetae et oratores saepius coniungunt *antitheton;* Gorgias quidem eius rei usum habuit inlustrem. Aristoteles, qui Rh. III, 9, p. 122 inter *λέξιν διῃρημένην* et *ἀντικειμένην* distinguit, huic figurae nomen posuit antitheti (*ἀντιθέσεως*). Apud posteriores antitheseos (Alex. p. 477, 16; Her. p. 602, 11) vel antitheti varia secernuntur genera; a Tiberio etiam duae rationes constituuntur ‚*κατὰ διάνοιαν*' (p. 545, 7) et ‚*κατὰ λέξιν*' (p. 569, 4): ‚*τὸ δὲ τῆς λέξεως ἀντίθετον*' dupliciter fieri monet ‚*ἢ κατὰ κῶλον ἢ κατὰ λέξιν* (= *κατὰ κόμμα*, cf. exemplum Dem. *π. στεφ.* p. 315, 7 R.: *ἐδίδασκες γὰρ γράμματα, ἐγὼ δ' ἐφοίτων*). Ceterum Ciceronis huc spectant ‚contrariis relata contraria'.

invenitur in rhet. ad Alex. § 28, p. 213. Sp. cuius Anaximenem, Aristotelis aequalem, auctorem fuisse nunc inter omnes constat. ‚Parhomoeo' vero quo Charisius, Diomedes, alii utuntur, una tantum paromoeoseos ratio significatur, παρομοίωσις κ. ἀρχ. τῶν ὀνομάτων, quod ὁμοιόαρκτον dicitur. Ab Aristotele scilicet artis nomen nobis repetendum est, quamquam apud eum totus usus non tam late patet, quam apud Hermogenem. Profectus autem ab Aristotele et Hermogene paromoeoseos singulas rationes eis supplebo, quae apud Cornificium, Quintilianum, posteriores Romanos Graecosque inveni.

Paromoeoseos igitur duo sunt genera: παρομοίωσις κατὰ μέρος λόγου et παρομοίωσις κατὰ κῶλα; — Io. Sic. schol. ad Herm. π. ἰδ. α'. VI, p. 328, 8. W., ‚Διττὴ ἡ π. κατὰ κῶλον καὶ κατὰ μέρος λόγου', — atque utrumque genus in diversas rationes dividitur.

Atque paromoeoseos κατὰ μέρος λόγου species altera est π. κατ' ἀρχὴν τῶν ὀνομάτων, ‚ὃ καὶ ὁμοιόαρκτον λέγεται', Max. Plan. schol. ad Herm. π. ἰδ. α'. V, p. 511, 4. W. et anon. schol. ad eund. VII, 1032, 15. W.[1]) Homoeoarcti exemplum et Hermogenes p. 284, 3 et scholiastae l. l. et Tiberius p. 561, 15. W. hoc Demostheneum ponunt Ol. I, 1: ‚ὅτε τοίνυν τοῦθ' οὕτως ἔχει, προσήκει προθύμως (ἐθέλειν) . . .' Alio exemplo utitur Io. Sic. p. 328, 9: ‚δελφὶς ἀναφυσῶν καὶ ἀναπετόμενος'. De homoeoarcti usu Anaximenes cogitasse videtur, cum de paromoeosi Rh. ad Alex. § 28, p. 213. Sp. monuit: ‚μάλιστα δὲ ποιεῖ ὅμοια τὰ τελευταῖα τῶν ὀνομάτων; quibus ex verbis nihil aliud efficitur, atque homoeoteleuton usitatius tum fuisse quam homoeoarcton. Anaximenes autem quoniam paulo *rarius* initia verborum similiter efferenda esse intellexit, singulariter de hoc usu memorare noluit. Memoravi supra posteriores Romanorum grammaticos ‚parhomoeon' in eandem sententiam accepisse atque scholiastas Hermogenis ὁμοιόαρκτον. Charisius quidem p. 282, 7. K. ‚parhomoeon' esse memorat, ‚cum verba omnia similiter incipiunt', exemplumque profert ex Ennii annalibus:

O Tite tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti.

Atque eodem exemplo ‚parhomoeon' inlustrant Donatus p. 398, 20. K. et Pompeius p. 303, 28. K. Diomedes autem p. 466, 30 duo ‚par-

1) Qui scholiastae, quorum alter alterum excerpsit, qua aetate fuerint constitui non potest (sed Maximum Planudem, ut est apud Walzium praef. ad vol. V. ‚antiquum esse testantur codices Parisini **1983**, **2977** saeculo decimo *scripti'.)*

[redacted]

homoei' genera in medium vocat: ‚parhomoeon est, cum verba vel nomina paululum inflexa et tamen *prope similia* superioribus inferuntur, ut (Verg. Aen. IV, 3):

Multa *viri vir*tus animo multusque recursat Gentis honos . . .'

quod genus parechesi tribuendum esse videbimus; ‚et aliter parhomoeon fit, cum verba similiter incipiunt, ut

Máchina multa minax minatur[1]) maxima muris'.

Et iam ante eos Marius Plotius [M. Claudius] sac., qui Diocletiano imperatore fuit ‚parhomoei' similem constituit definitionem p. 458, 29. K.: ‚p. est, cum multorum verborum diversorum initia similibus litteris proferuntur, ut ‚casus Cassandra canebat' et illud ‚Clitipho consilia consequi consimilia' (Verg. Aen. III, 183, Ter. Heaut. 209. U.). Singularem locum obtinet Martianus Capella, qui de litterarum assiduitate in odium repetita cogitans discernit inter *mytacismum, labdacismum, iotacismum;* praeterea *homoeoprophori* exemplum ‚O Tite' etqs. adfert. Summa autem omnium illarum definitionum haec est:

Homoeoarcton fit, quotiens bina[2]) vel terna vel plura verba ab eisdem primis litteris vel syllabis incipiunt.[3])

1) minitatur em. Naekius p. 332.

2) Nam cum Charisius ‚omnia', M. Claudius ‚multa', Donatus Pompeius ‚diversa', Diomedes omnino ‚verba' similiter incipere moneant, Hermogenes satis habet duplici exemplo homoeoarcton inlustrasse.

3) 'Ὁμοιόαρκτον igitur vocabulum idem significat quod apud Germanos *Allitteration*, neque opus est vocabulum quaerere mirum quantum conformatum ut Maehlyi ‚ὁμοιοκέφαλον' (N. S. M. 1864. p. 210). *Adlitterationis* autem non una definitio apud nostrates extat. Nam quoniam Jo. Jov. Pontanus in dialogo qui inscribitur Actius p. 128. Ald. ‚Alliteratio' vocabulum primus posuit, adlitterationis nomen per tria fere saecula delitescens, huius saeculi initio ab illo Germanarum litterarum principe J. Grimmio in lucem protractum, inde apud omnes, qui huic rei operam dederunt, usitatum, diversos in modos definitum vel etiam omissa definitione ab aliis in aliam sententiam acceptum est. Pontanus autem l. l. ‚Ea igitur, sive figura, sive ornatus condimentum quasi quoddam numeris affert, *placet autem nominare Alliterationem, quod e literarum allusione constet'*. Intellegit autem ‚alliterationem' et de initio et de medio et de fine verborum similiter efferendis. Nam quamquam adlitterationis hanc definitionem statuit: ‚Fit itaque in versu, quoties dictiones continuatae vel binae vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis aut ab iisdem primis

Paromoeoseos *κατα μέρος λόγου* species altera, *π. κατὰ τὸ τέλος τῶν ὀνομάτων* fit, cum binae vel plures dictiones vel in eosdem casus cadunt, quod *ὁμοιόπτωτον* dicitur, vel in easdem syllabas desinunt, quod *ὁμοιοτέλευτον* dicitur: schol. ad Herm. *π. ἰδ. α′.* VII. 1032, 17. W., *τῆς δὲ κατὰ τὸ τέλος π. τὸ μέν ἐστιν*

---

vocalibus', continuo tamen addit: ‚Delectat autem Alliteratio haec mirifice in primis et ultimis locis facta, in mediis quoque, licet ibidem aures minus sint intentae'. Viri docti porro, qui in *Germanis* litteris versantur, adlitteratione ad initium verborum revocata eadem sententia uti solent atque Germanica voce *Stabreim.* Qui autem Romanorum adlitterationis usui operam navarunt, alii aliam adlitterationi impresserunt notionem. Ac Naekius quidem M. Rh. 1829, p. 324 a Pontano proficiscens adlitterationem fieri vult primis litteris, primis syllabis, in una postrema et altera prima syllaba, in mediis vocibus, in postremis syllabis; simile, quod in verbis ab eadem stirpe derivatis continetur (paregmenon et polyptoton), nec minus paronomasiam secernit ab adlitteratione. Deinceps Ed. du Méril, ess. phil. s. l. princ. et les form. d. l. vers. p. 96 adlitterationem Graecorum parechesin aequare statuit. Pontani definitionem inde a ‚Fit itaque' usque ad ‚primis vocalibus' ita probat Maehlyus N. S. M. 1864, p. 214, ut etiam paregmeni et polyptoti exempla adlitterationi det. Sequitur Ed. Lochius, qui in dissertatione sua de usu allitterationis apud poetas Latinos adlitterationem ad initium et finem vocum revocat. Iam vero ne editores quidem Plautini de adlitteratione disputare omiserunt. Brixius quidem adlitterationis amplissimam notionem recepit (adn. ad Trin. 27: ‚Die Alliteration invitus ni invitet . . .'). F. A. Lorenzius autem adlitteratione novicia voce omissa usus est Germanis voculis ‚Buchstabenreim, Silbenreim zu Anfang'. Atque hic quidem optime de similium variis rationibus promeritus est, cum praecipue in praefatione ad Pseud. p. 37 sqq. accurate discernit inter ‚Buchstabenreim, Silbenreim zu Anfang, in der Mitte, zu Ende der Wörter, Assonanz, etymologische Figur, Paronomasie, Wortspiel' (cf. quoque praef. ad Most. 48, ad Mil. 61). Quae distinctio non placuit R. Klotzio, qui ‚Zur Allitter. u. Symmetr. bei T. M. Pl.' p. 1 ampla quadam adlitterationis definitione impetrata huic quidem (‚d. Allitteration im weiteren Sinne') non solum homoeoarcta dat, sed etiam magnam partem paronomasiarum, figuras etymologicas fere omnes. Qua tamen amplificatione vereor ne retro cesserit similium cognitio potius, quam progressa sit. Ceterum Ribbeckius, qui in libro suo ‚D. röm. Tragoedie' non semel de adlitteratione cogitavit cf. p. 42, 215, 338, itemque Sc. R. P. I, p. IX, ad Liv. 13, p. XIX, ad Enn. 44, p. LX ad Acc. 495, vol. II, p. XVII, XXIX sp. adlitterationem in eandem sententiam accepit ac nos homoeoarcton. Nuperrime denique Woelfflinius ‚D. all. Verb. d. lat. Spr.' S.-B. d. k. bair. Ak. 1881 vol. II, 1, p. 3 sqq. adlitterationem ad primas tantum litteras verborum referri vult. Quem secutus est W. Ebrard ‚Die Allitt. in d. lat. Spr.' Bayreuth. Progr. 1882, p. 3: ‚Allitteration — Gleichklang im Anlaut'.

ὁμοιόπτωτον, τὸ δὲ ὁμοιοτέλευτον'. Quarum duarum rationum, etsi commune nomen neque apud Graecos neque apud Romanos invenitur, tamen licet Vossium sequi, qui inst. or. V, 5, 2, p. 328 homoeoptoton et homoeoteleuton species esse ait *homoeocatalecti*. *ὁμοιοκατάληκτον* est et apud Herodianum VIII, p. 601, 1, qui eo aeque utitur atque homoeoteleuto, nec non apud schol. ad Herm. *π. ἰδ. α'.* VII, 1039, 2 et apud schol. ad Thuc. I, 2 et apud alios (schol. ad Arist. nub. 394, Eust. ad Od. *α'*, 40).

Homoeoptoti κατὰ μέρος λόγου duae sunt rationes, quarum altera continetur in similitudine casus nominum *non* in easdem syllabas desinentium: Quint. IX, 3, 78, p. 163, 22. H. 'non quod casum[1]) habet similem, utique in eundem venit finem *ὁμοιόπτωτον*, quia *ὁμοιόπτωτον* est tantum casu simile, etiamsi dissimilia sint, quae declinentur'. Alterius rationis, quae duorum vel plurium verborum et *ad eundem casum et ad easdem ultimas syllabas* pertinet, Charisius p. 282, 12, Diomedes p. 447, 12, Donatus p. 398, 24, Pompeius p. 304, 1 hoc ex Ennii ann. (107 Vahl.) exemplum adferunt:

Maerentes, flentes, lacrimantes, conmiserantes.

Diomedes vero l. s. de utraque ratione cogitat: 'homoeoptoton est oratio excurrens in eosdem casus similiter, id est cum uno similique casu totius sensus elocutionis impletur[2]) .... et aliter homoeoptoton fit cum oratio excurrit in eosdem casus et similes fines'.

Homoeoteleuti κατὰ μέρος λόγου Io. Sic. VI, p. 328, 10. W. exemplum posuit *'εἴτε ἀπειθείας, εἴτε προμηθείας καὶ ἀσφαλείας'* Planudes autem V, p. 511, 6, anon. VII, p. 1032, 15. Tiberius VIII, p. 562, 1 in explanatione parisoseos *κ. τὸ τέλος* ita consentiunt, ut eodem exemplo utantur Dem. Ol. I, 1 *'ἐθέλειν, ἀκούειν'*. Quod exemplum, quoniam apud Hermogenem non invenitur, suspicari licet librariorum neglegentia excidisse. Nam Planudes et anonymus et Tiberius plerumque, ut nova exempla non indagant, ita Hermogenis exemplis utuntur. De homoeoteleuto *κ. μέρος λόγου* Quint. IX, 3, 77 p. 163: 'fit etiam singulis verbis: Hecuba hoc dolet, pudet, piget; et: abiit, excessit, erupit, evasit'. Donatus p. 398, 22: 'homoeo-

---

1) finem *libri; casum conieci.*

2) 'ut apud Sallustium: maximis ducibus, fortibus strenuisque ministris'.

Paromoeoseos κατα μέρος λόγου species altera, π. κατὰ τὸ τέλος τῶν ὀνομάτων fit, cum binae vel plures dictiones vel in eosdem casus cadunt, quod ὁμοιόπτωτον dicitur, vel in easdem syllabas desinunt, quod ὁμοιοτέλευτον dicitur: schol. ad Herm. π. ἰδ. α'. VII. 1032, 17. W., τῆς δὲ κατὰ τὸ τέλος π. τὸ μέν ἐστιν

---

vocalibus', continuo tamen addit: ‚Delectat autem Alliteratio haec mirifice in primis et ultimis locis facta, in mediis quoque, licet ibidem aures minus sint intentae'. Viri docti porro, qui in *Germanis* litteris versantur, adlitteratione ad initium verborum revocata eadem sententia uti solent atque Germanica voce *Stabreim*. Qui autem Romanorum adlitterationis usui operam navarunt, alii aliam adlitterationi impresserunt notionem. Ac Naekius quidem M. Rh. 1829, p. 324 a Pontano proficiscens adlitterationem fieri vult primis litteris, primis syllabis, in una postrema et altera prima syllaba, in mediis vocibus, in postremis syllabis; simile, quod in verbis ab eadem stirpe derivatis continetur (paregmenon et polyptoton), nec minus paronomasiam secernit ab adlitteratione. Deinceps Ed. du Méril, ess. phil. s. l. princ. et les form. d. l. vers. p. 96 adlitterationem Graecorum parechesin aequare statuit. Pontani definitionem inde a ‚Fit itaque' usque ad ‚primis vocalibus' ita probat Maehlyus N. S. M. 1864, p. 214, ut etiam paregmeni et polyptoti exempla adlitterationi det. Sequitur Ed. Lochius, qui in dissertatione sua de usu allitterationis apud poetas Latinos adlitterationem ad initium et finem vocum revocat. Iam vero ne editores quidem Plautini de adlitteratione disputare omiserunt. Brixius quidem adlitterationis amplissimam notionem recepit (adn. ad Trin. 27: ‚Die Alliteration invitus ni invitet . . .'). F. A. Lorenzius autem adlitteratione novicia voce omissa usus est Germanis voculis ‚Buchstabenreim, Silbenreim zu Anfang'. Atque hic quidem optime de similium variis rationibus promeritus est, cum praecipue in praefatione ad Pseud. p. 37 sqq. accurate discernit inter ‚Buchstabenreim, Silbenreim zu Anfang, in der Mitte, zu Ende der Wörter, Assonanz, etymologische Figur, Paronomasie, Wortspiel' (cf. quoque praef. ad Most. 48, ad Mil. 61). Quae distinctio non placuit R. Klotzio, qui ‚Zur Allitter. u. Symmetr. bei T. M. Pl.' p. 1 ampla quadam adlitterationis definitione impetrata huic quidem (‚d. Allitteration im weiteren Sinne') non solum homoeoarcta dat, sed etiam magnam partem paronomasiarum, figuras etymologicas fere omnes. Qua tamen amplificatione vereor ne retro cesserit similium cognitio potius, quam progressa sit. Ceterum Ribbeckius, qui in libro suo ‚D. röm. Tragoedie' non semel de adlitteratione cogitavit cf. p. 42, 215, 338, itemque Sc. R. P. I, p. IX, ad Liv. 13, p. XIX, ad Enn. 44, p. LX ad Acc. 495, vol. II, p. XVII, XXIX sp. adlitterationem in eandem sententiam accepit ac nos homoeoarcton. Nuperrime denique Woelfflinius ‚D. all. Verb. d. lat. Spr.' S.-B. d. k. bair. Ak. 1881 vol. II, 1, p. 3 sqq. adlitterationem ad primas tantum litteras verborum referri vult. Quem secutus est W. Ebrard ‚Die Allitt. in d. lat. Spr.' Bayreuth. *Progr. 1882, p. 3:* ‚*Allitteration* — Gleichklang im Anlaut'.

[redacted]

ὁμοιόπτωτον, τὸ δὲ ὁμοιοτέλευτον'. Quarum duarum rationum, etsi commune nomen neque apud Graecos neque apud Romanos invenitur, tamen licet Vossium sequi, qui inst. or. V, 5, 2, p. 328 homoeoptoton et homoeoteleuton species esse ait *homoeocatalecti*. ὁμοιοκατάληκτον est et apud Herodianum VIII, p. 601, 1, qui eo aeque utitur atque homoeoteleuto, nec non apud schol. ad Herm. π. ἰδ. α'. VII, 1039, 2 et apud schol. ad Thuc. I, 2 et apud alios (schol. ad Arist. nub. 394, Eust. ad Od. α', 40).

Homoeoptoti κατὰ μέρος λόγου duae sunt rationes, quarum altera continetur in similitudine casus nominum *non* in easdem syllabas desinentium: Quint. IX, 3, 78, p. 163, 22. H. ‚non quod casum[1]) habet similem, utique in eundem venit finem ὁμοιόπτωτον, quia ὁμοιόπτωτον est tantum casu simile, etiamsi dissimilia sint, quae declinentur'. Alterius rationis, quae duorum vel plurium verborum et *ad eundem casum et ad easdem ultimas syllabas* pertinet, Charisius p. 282, 12, Diomedes p. 447, 12, Donatus p. 398, 24, Pompeius p. 304, 1 hoc ex Ennii ann. (107 Vahl.) exemplum adferunt:

Maerentes, flentes, lacrimantes, conmiserantes.

Diomedes vero l. s. de utraque ratione cogitat: ‚homoeoptoton est oratio excurrens in eosdem casus similiter, id est cum uno similique casu totius sensus elocutionis impletur[2]) .... et aliter homoeoptoton fit cum oratio excurrit in eosdem casus et similes fines'.

Homoeoteleuti κατὰ μέρος λόγου Io. Sic. VI, p. 328, 10. W. exemplum posuit ‚εἴτε ἀπειθείας, εἴτε προμηθείας καὶ ἀσφαλείας' Planudes autem V, p. 511, 6, anon. VII, p. 1032, 15. Tiberius VIII, p. 562, 1 in explanatione parisoseos κ. τὸ τέλος ita consentiunt, ut eodem exemplo utantur Dem. Ol. I, 1 ‚ἐθέλειν, ἀκούειν'. Quod exemplum, quoniam apud Hermogenem non invenitur, suspicari licet librariorum neglegentia excidisse. Nam Planudes et anonymus et Tiberius plerumque, ut nova exempla non indagant, ita Hermogenis exemplis utuntur. De homoeoteleuto κ. μέρος λόγου Quint. IX, 3, 77 p. 163: ‚fit etiam singulis verbis: Hecuba hoc dolet, pudet, piget; et: abiit, excessit, erupit, evasit'. Donatus p. 398, 22: ‚homoeo-

1) finem *libri; casum conieci.*

2) ‚ut apud *Sallustium*: maximis ducibus, fortibus strenuisque ministris'.

teleuton est, cum simili modo dictiones plurimae finiuntur, ut (Enn. tr. 358. R.):

eós reduci quám relinqui, dóvehi quam déseri
málui . . .' (cf. Char. p. 282, 9, Diomedes p. 447, 3).

Claud. Sacerd. p. 459, 3: ‚homoeoteleuton, quod contrarium parhomoeo est, fit hoc modo, cum diversae orationis fines eisdem litteris terminantur, ut, caesa iungebant foedera porca' (Verg. Aen. VIII, 641).

Ceterum Cornificius de duobus homoeocatalecti generibus, de *similiter cadenti* et *similiter desinenti* hoc praecipit IV, 20, 28, p. 154. K.: ‚haec duo genera, quorum alterum in exitus verborum, alterum in casus similitudine vorsatur, inter se vehementer conveniunt, et qui his bene utuntur plerumque simul ea conlocant'; quod ita intellegendum est, ut homoeoptota eadem homoeoteleuta sint, non homoeoteleuta eadem homoeoptota. Sunt etiam, qui non satis accurate discernentes inter homoeoptoton et homoeoteleuton, homoeoptoto ipsam homoeoteleuti significationem tribuant, ut Rut. Lup. II, 13, p. 18, 30. H.: ‚hoc (homoeoptoton) in duobus verbis eundem habet casum aut eandem novissimam syllabam'; idemque paulo post homoeoteleuti definitionem admodum vagam profert.

§ 6. *Paromoeosis* κατὰ κῶλα pertinet ad extremas partes, initium vel finem, binorum vel plurium orationis colorum commatumve[1]) verbis similiter sonantibus exornanda. Aristoteles quidem Rh. III, 9, p. 123. Sp.: ‚παρομοίωσις δ' ἐὰν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τὸ κῶλον. ἀνάγκη δὲ ἢ ἐν ἀρχῇ ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν. καὶ ἀρχὴ μὲν ἀεὶ τὰ ὀνόματα, ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος πτώσεις ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα'. Paromoeosis autem et κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων et κατὰ τέλος τῶν κώλων bina habet genera, quibus accedit quintum, quod et ad initium et ad finem colorum pertinet.

Atque paromoeoseos κ. ἀρχὴν τ. κ. genus prius est (I) ὁμοιοκάταρκτον, de quo memorat Dionysius Halicarn. ap. Max. Plan. schol. ad Herm. π. ἰδ. β', p. 551, 1, postquam Gorgiani encomii fragmentum protulit: ‚Σεμνὰς γὰρ ἐνταῦθα συμφορήσας λέξεις ὁ Γορ-

1) commata in minoribus eiusdem sententiae partibus contineri video atque constare ex paucis, binis vel ternis vocibus; colorum autem vocabulo veteres rhetores vel maiores eiusdem sententiae partes vel totas sententias significant, cf. Alex. p. 460, 13 et 461, 3; communi nomine κατὰ κῶλα utar.

γίας ἐννοίας ἐπιπολαιοτέρας ἐξαγγέλλει τοῖς τε παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις καὶ ὁμοιοκατάρκτοις καλλωπίζων διόλου προσκόρως τὸν λόγον'. Homoeocatarcton autem aut *ὁμοιοκατάληκτον κ. ἀρχὴν τῶν κώλων* esse potest, cum variorum colorum prima vocabula in easdem syllabas desinunt; consideres quidem haec encomii exempla homoeopt. *κ. ἀρχ. τ. κ.* p. 550, 5: *κόσμιοι εἰς τοὺς κοσμίους, ἄφοβοι εἰς τοὺς ἀφόβους, δεινοὶ ἐν τοῖς δεινοῖς*; p. 550, 10: *σεμνοὶ μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς τῷ δικαίῳ, ὅσιοι δὲ πρὸς τοὺς τοκέας τῇ θεραπείᾳ, δίκαιοι πρὸς τοὺς ἀστοὺς τῷ ἴσῳ, εὐσεβεῖς δὲ πρὸς τοὺς φίλους τῇ πίστει*[1]'; homoeotel. *κ. ἀρχ. τ. κ.* p. 549, 4: *λαθὼν μὲν τὴν θείαν νέμεσιν, φυγὼν δὲ τὸν ἀνθρώπινον φθόνον*; — aut similitudo verborum maior est et, quod quidem Aristoteles voluit, ad *tota* vocabula pertinet. Aristoteles enim utitur oppositione Rh. III, 9 p. 123: ‚*καὶ ἀρχὴ μὲν ἀεὶ τὰ ὀνόματα, ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβάς*'. Quam in rem Aristotelis etiam exempla conveniunt: ‚*ἀγρὸν γὰρ ἔλαβε ἀργὸν παρ' αὐτοῦ*'; Il. IX, 526: *Δωρητοί τε πέλοντο παράρρητοί τ' ἐπέεσσιν.* cf. quoque Il. V, 440: *Φράζεο, Τυδείδη, καὶ χάζεο, μηδὲ θεοῖσιν.*

Paromoeoseos *κ. ἀρχ. τῶν κώλων* genus alterum est (II) *ἐπαναφορά*; significat autem repetitionem eiusdem verbi in initio binorum vel plurium colorum commatumve: Phoeb. p. 499, 7. W., Tiber. p. 558, 17, Io. Sic. p. 197, 7 et 333, 8. Sed iuvabit Hermogenis definitionem enucleare, qui de differentia parisoseos *κ. ἀρχ.* et epanaphorae quaerens variorum utriusque figurae generum quasi summam persecutus est. Atque hic p. 284, 15: ‚*διαφέρει δὲ τῆς παρισώσεως κατ' ἀρχὰς τὸ σχῆμα τοῦτο, ᾗ ἐκεῖ μὲν συλλαβή ἐστιν ἡ αὐτὴ ἐπ' ἀμφοῖν τοῖν κώλοιν* (= *ὁμοιοκατάληκτον κ. ἀρχ. τ. κώλ.*), *εἰ δὲ καὶ πλείους* (= homoeocatarcti altera ratio, quam Aristoteles statuit), *ἀλλ' οὐ λόγου γίνεται μέρος ὁλόκληρον* (= *ἐπαναφορά*). *καὶ ὃ μὲν ἂν ᾖ ἐπαναφορά, καὶ παρίσωσίς ἐστι ἡ κατ' ἀρχάς· ὃ δ' ἂν παρίσωσις ᾖ κατ' ἀρχάς, οὐκέτι καὶ ἐπαναφορά*'.

Epanaphorae duas rationes adumbrat Alexander p. 447 sq., quarum una *κατὰ λέξιν* extat nostramque de qua antea diximus exaequat: ‚*Ἐ. ἐστιν, ὅταν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος*[2]) *δύο ἢ πλείω κῶλα ἄρχηται*'; altera *κατὰ διάνοιαν* fit, ‚*ὅταν ἐπὶ πολὺ τὸ ὄνομα*

1) hoc etiam exempl. homoeopt. *κ. τέλος τ. κ.* est eius rationis quae non in easdem syllabas desinit.

2) *κόμματος libri; ὀνόματος conieci.*

ἐν ἀρχῇ τῶν κώλων καὶ τῶν περιόδων πολλάκις παραλαμβάνηται'. hoc autem ἰσοδυναμοῦν appellatur ab Alexandro exemplisque inlustratur et aliis et hoc: ‚ἐπέδωκα τῇ πόλει χρήματα, παρέσχον συμμάχους, ἐχαρισάμην ὅπλα'.

Ἐπαναφορά latine dicitur vel *repetitio* Cornif. IV, 13, p. 143, 14, Cic. de or. III, 206, Aq. Rom. p. 29; vel *relatum* id. paulo post p. 32, 23; vel *relatio* Mart. Cap. p. 481, 26. H.; vel *iteratio* Iul. Ruf. p. 49, 26. Pro epanaphora *anaphoram* appellant Char. p. 281, 15. Donatus p. 398, 5, Pompeius p. 302, 32, Claudius Sacerd. p. 458, 7. Diomedis autem anaphorae definitio p. 445, 13, ‚anaphora est relatio *eiusdem verbi aut similis* per principia versuum plurimorum' non ad epanaphoram et homoeocatarcton pertinet, de quibus, ut cogitemus, verbis adducimur ‚eiusdem verbi aut similis', sed, ut exempla docent, ad epanaphoram (Verg. Aen. I, 664/5 quorum utriusque in initio ‚Nate' legitur) et ad polyptoton κ. ἀρχ. τῶν κώλων (Verg. Aen. XII, 58/59 Ribb.:

— spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit.)

Paromoeoseos κατὰ τὸ τέλος τῶν κώλων duo sunt genera (I) ὁμοιοκατάληκτον κατὰ τέλος τ. κ. et (II) ἀντιστροφή.

(I) *Homoeocatalecton* κ. τέλος τ. κ. rursus dispertitur in homoeoptoton et homoeoteleuton κ. τέλος τ. κ.

Atque *homoeoptoton* κ. τέλος τ. κ. fit, quotiens dictiones ultimae binorum vel plurium colorum in eundem cadunt casum[1]): Tiber. p. 562, 10. W. ‚ὅταν δὲ εἰς ὄνομα λήγωσιν αἱ περίοδοι ἢ τὰ κῶλα, τὰ δὲ ὀνόματα ἔχει τὰς πτώσεις ὁμοίας, τότε ὁμοιόπτωτον λέγεται'. Praeter homoeoptoton κατ' ἀρχὴν et κατὰ τέλος τῶν κώλων Quintilianus IX, 3, 78, p. 163. H. etiam de aliis eiusdem figurae rationibus cogitat: ‚nec tantum in fine deprehenditur (homoeoptoton), sed respondentibus vel primis inter se vel mediis, vel extremis, vel etiam permutatis his, ut media primis et summa mediis adcommmodentur; et quocunque modo adcommodari potest'.

Homoeoteleuton κατὰ τέλος τῶν κώλων fit, quotiens dictiones ultimae binorum vel plurium colorum similiter desinunt: Zon. VIII,

---

1) Apparet duo homoeoptoti κ. τ. τ. κ. esse genera, prout praeter casus similitudinem etiam ultimae syllabae idem sonant aut varie. cf. p. 17.

p. 687, 4. W. ‚ὁμοιοτέλευτόν ἐστιν, ὅταν πολλὰ κῶλα τὴν αὐτὴν συλλαβὴν ἔχωσι [κατὰ] κατάληξιν'. Quint. IX, 3, 77, p. 163, 12: ‚(similium) secundum, ut clausula similiter cadat, syllabis eisdem ultima in parte conlocatis: ὁμοιοτέλευτον similem duarum sententiarum vel plurium finem [significat]: non modo ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam; ... fit etiam singulis verbis'. Ceterum cf. quod Hermogenes p. 282 sq. de Demosthenis huius figurae usu memorat.

(II) Ἀντιστροφή repetitionem eiusdem verbi in fine colorum significat: Arist. Rh. III, 9, p. 123. Sp. ‚ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα'. Hermog. π. ἰδ. α'. p. 285, 6: ‚ἔτι κάλλους ποιητικὸν τὸ τοιοῦτον σχῆμα, ἡ ἀντιστροφή. ἔστι δὲ τοῦτο ἐναντίον πῶς τῇ ἐπαναφορᾷ, κατὰ τὸ τέλος ἐχόντων τῶν κώλων τὴν αὐτὴν λέξιν. καὶ διαφέρει γε πάλιν καὶ τοῦτο τῆς παρισώσεως τῷ αὐτῷ ᾧπερ καὶ ἡ ἐπαναφορά. Eadem fere definitione utuntur Alex. p. 464, 3, Tib. p. 560, 4, Zon. p. 682, 5. Latine dicitur vel *conversio* Corn. IV, 13, 19, p. 144, 9 ‚per quam non ut antea primum repetimus verbum sed ad postremum continenter revortimur'. Quint. IX, 1, 33. ‚in extremum conversio', Mart. Cap. p. 481, 29. H.; vel *conversum*: Aq. Rom. p. 33, 11; vel *desitio* carm. d. f. p. 65, 37. H.; *epiphora* usus est Rut. Lup. p. 6. H.

Paromoeoseos κατ' ἀρχήν τε καὶ κατὰ τέλος τῶν κώλων non ita pauca exempla apud veteres Romanorum poetas inveniuntur. Homoeocatalecton quidem Plautus saepissime coniungit cum epanaphora ut Bacch. 1094. R.: *Chrysálus* me hodie [de]lácer*avit, Chrysálus* me miserum spóli*avit*. Sed omissis omnibus aliis rationibus veteres tantum copulationi epanaphorae et antistrophes nomen posuerunt συμπλοκῆς. Alex. p. 464, 13 ‚Τοῦτο τὸ σχῆμα μικτόν[1]) ἐστιν ἐκ τῆς ἀναφορᾶς καὶ τῆς ἀντιστροφῆς· διὸ καὶ οὕτω κέκληται, καὶ γὰρ ἐν ἀρχῇ τῶν κώλων καὶ ἐπὶ τελευτῆς τὴν αὐτὴν ἔχει λέξιν'. Pro symploce idem etiam σύνθεσιν praestat; *conexo* utitur Aquila Rom. p. 33, 17, *conexione* Mart. Cap. p. 482, 4.

Praeterea quam paromoeoseos κ. τέλος τ. κ. tertiam rationem Aristoteles constituit Rh. III, 9, p. 123 ‚ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος πτώσεις ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα', nescio an secernenda sit a paromoeosi. Nam verba ‚τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος

---

1) μικρόν *apud Walzium; an errore typothetae?*

πτώσεις' nihil aliud significare possunt ac similes quamquam vario modo declinatas formas eiusdem nominis vel stirpis. Accedit quod exemplum ‚ἄξιος δὲ σταθῆναι χαλκοῦς, οὐκ ἄξιος ὢν χαλκοῦ' et ad paregmenon quadrat, quod verba ab eadem stirpe derivata sunt, et ad paronomasiam, quod idem verbum paulum mutatum alium movet sensum. Ceterum vestigia nec paregmeni nec paronomasiae κ. κῶλα usus plane desunt apud veteres poetas.

§ 7. Secuntur figurae, *quae omnino ad similitudinem quandam verborum pertinent:* (I.) *parechesis* (II.) *paronomasia* (III.) *parison* (IV.) *paregmenon* (V.) *polyptoton.* Atque haec quidem, si licet geometrico exemplo uti, comparari possunt cum orbibus, quorum in se quisque habet alius partem aliquam, quamquam alius alio est centro. Similitudo autem ea est, ut difficillimum sit suis quamque figuram determinare finibus. Atque etiam augetur difficultas, quod rhetores minores cum parecheseos, paronomasiae, parisi, tum paregmeni, polyptoti notiones et nomina confuderunt atque perturbaverunt. Cuius rei cum nunc testem adfero Greg. Cor. schol. ad Herm. π. μεθ. δειν. CXVI, VII, p. 1262. W.: ‚ἃ δὲ νῦν αὐτὸς λέγει, πάρισα τινὲς παρονομασίαν ἐκάλεσαν, ἄλλοι δὲ καὶ παρήχησιν', tum infra amplius rationem tenebo.

Ac primum quidem (I) παρήχησις vocabulum non tam saepe apud posteriores Graecorum rhetores invenitur, quam Maehlyo (p. 221) visum est; sed postquam Hermogenes περὶ εὑρέσεως l. IV. parecheseos vim ac notionem constituit, a posterioribus rhetoribus non nisi in commentariis ad Herm. l. l. eam figuram in disputationem deductam esse videmus; et in commentario suo ad Homerum Eusthatius nonnumquam παρήχησις, παρηχεῖν vocabulis utitur. Sed etiam Eusthatius ex Hermogene pendet. Quod nisi iam dudum notum esset inter homines doctos, ipsa ex ea re effici posset, quod Eusthatius ad eadem, quae Hermogenes ex Homero repetivit, exempla, Od. ω'. 465, Il. ζ'. 201 [1]), de parecheseos apud Homerum usu disputat.

Hermogenes igitur, a quo notio illius figurae repetenda est, π. εὑρ. IV, 7, p. 169, 7 ‚παρήχησις δέ, inquit, ἔστι κάλλος ὁμοίων ὀνομάτων ἐν διαφόρῳ γνώσει ταὐτὸν ἠχούντων· γίνεται δέ, ὅταν δύο ἢ τρεῖς ἢ τέσσαρας λέξεις ἢ ὀνόματα εἴπῃ τις ὅμοια μὲν ἠχοῦντα,

1) *eademque exempla* profert ad Il. α. 404.

[redacted]

διάφορον δὲ τὴν δήλωσιν ἔχοντα. Quod autem *ὅμοια* vocabulum intellegendum sit, Anaximenes explanat *τεχν. ῥητ.* § 28, p. 213 Sp. ‚*ὅμοια δέ ἐστιν ὀνόματα τὰ ἐξ ὁμοίων συλλαβῶν, ἐν αἷς πλεῖστα γράμματα τὰ αὐτά ἐστιν*'. Atque Hermogenes, quoniam non tantam similitudinem parechesi vindicat, ut plerasque verborum litteras easdem esse postulet, tamen necesse esse iudicat, verba similiter vel potius idem sonare (‚*ταὐτὸν ἠχοῦντα*'). Similitudinem autem, ut ad *stirpem* verborum pertinere necesse est, ita nil differt utrum ante an post stirpem apud aliud vocabulum aliud additamentum extet. Ac rursum statuendum est, cum verba ab eadem stirpe derivata esse possint, non postulari stirpium adfinitatem. Quod satis confirmatur exemplis, quibus Hermogenes utitur, duplicibus Xen. Hell. VII, 1, 41: ‚*πείθει τὸν Πειθίαν*', Hom. Od. ω'. 465:

‚— — *Εὐπείθει*

Πείθοντ';' triplici Hom. Il. ζ' 201/2:

Ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. ad quod adnotat: ‚*ἐνταῦθα γὰρ ὅμοια μὲν ἀλλήλοις ἠχεῖ τὸ Ἀλήιον καὶ τὸ ἀλᾶτο καὶ τὸ ἀλεείνων. ἀλλὰ τὸ μὲν ἐστι τόπου ὄνομα τὸ Ἀλήιον· τὸ δὲ ἀλᾶτο πρᾶγμα, τὸ δὲ ἀλεείνων πρᾶγμα μὲν καὶ αὐτὸ, ἄλλο δὲ παρὰ τὸ προσεσημασμένον*'. Quarti denique atque quadruplicis exempli ex Thuc. I, 110 sumpti parechesin ponit in *ἕλεσι, ἕλους, ἑλεῖν, Ἔλειοι* vocabulorum similitudine. Quae cum ita sint, probare non possum id quod Maehlyus p. 222 constituit, parechesin et ad initium et ad finem vocum similiter efferenda pertinere: immo nec initii nec finis, sed stirpis rationem tenet.[1])

1) Perperam vero idem Gregorium Corinthium ait parechesin ad initium et ad finem verborum revocare. Gregorius Cor. enim VII, p. 1262, 15: *ἃ δὲ νῦν αὐτὸς λέγει πάρισα, τινὲς παρονομασίαν ἐκάλεσαν, ἄλλοι δὲ καὶ παρήχησιν, οἷον, κατηγορήσω γὰρ αὐτὸς ἐγὼ τῆς ἐμῆς εἴτε ἀπονοίας, εἴτε ἀνοίας,* quod exemplum parisi est, de quo disputat, non parecheseos. Notionum nominumque confusorum praeclarus testis est Tzetzes schol. in Herm. anecd. Ox. p. 138. Kr.:

‚*Πάρισον καὶ παρόμοιον καὶ παρονομ[ασ]ία*
Καλεῖται καὶ παρήχησις, ἥνπερ εἰς πλάτος εἶπε,
Τετάρτῳ τῶν εὑρέσεων τόμῳ καλῶς διδάξας.
Ἶσον, ὁμοιοτέλευτον, καὶ ὅμοιον δ' ὑπάρχει,
Ὃ ὁμοιοκατάληκτον καλεῖται παρ' ἑτέροις:
Οἷα ταννῦν φιλομαθὴς καὶ τὸ πολυμαθὴς δέ.

Parisi exemplo *φιλομαθής — πολυμαθής* Hermogenes usus est v. p. 46.

Apud Romanos neque parecheseos neque aliud quod idem significet, nomen invenitur; res autem apud Quintilianum nec minus apud Diomedem extat. Quintiliani autem ‚similium' primam rationem IX, 3, 76, p. 163, 9, ‚quotiens verbum verbo non dissimile valde quaeritur', ut ‚puppesque tuae pubesque tuorum' parechesin aequare consentaneum est. Itemque Diomedis ‚parhomoei' alteram rationem p. 446, 30, ‚cum verba vel nomina paululum inflexa et tamen prope similia superioribus inferuntur', ad parechesin referre licet.

(II) *Paronomasia*, cum multis modis, tum hac re differt a parechesi, quod haec quidem sola continetur lexi, paronomasia autem non minus dianoeae est quam lexeos. Atque figura lexeos est, quod in verborum similitudine cernitur, dianoeae autem, quod ad argutias movendas valet. Hermogenes quidem cum *περὶ δριμύτητος* quaerit *π. ἰδ. β'.* p. 323, 12: *ἕτερον δὲ παρὰ ταύτην τὴν δριμύτητα, εἴτε καὶ ὀξύτητα, δριμύτητός ἐστιν εἶδος, περὶ οὗ δυσχερὲς ἀποφήνασθαι, ὅτι περὶ λέξιν ἢ περὶ ἔννοιαν γίνεται, οὔτε γὰρ ὡς ἔστιν ἔννοια, οὔθ' ὡς οὐκ ἔστιν ἀσφαλὲς εἰπεῖν· κατὰ λέξιν μὲν γὰρ θεωρεῖται. ἡ δὲ λέξις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν ἡ ποιοῦσα τὴν δριμύτητα οὐδὲν ἔχει δριμύτητος, εἰ τῆς ἐννοίας αὐτὴν χωρίσειέ τις, περὶ ἣν γίνεται, ἢ τῶν πρὸ αὐτῆς ῥηθέντων. ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἰδέαις τοῦτο οὐκ ἔστιν κτλ.* p. 324, 1: *ἡ δὲ τῆς δριμύτητος λέξις .... ἔννοιάν τινα σημαίνουσα, ἧς οὐκ ἔστι κυρία, ἢ τισὶν ἄλλοις ἐφεπομένη κατά τινα οἱονεὶ χαριεντισμὸν γίνεται δριμεῖα καὶ ποεῖ τὴν δριμύτητα'.* Discerno igitur inter paronomasiam *κατὰ διάνοιαν* et *κατὰ λέξιν*, atque ad illam traho ea genera, quae sola in dianoea posita sunt (Hermogeneae *δριμύτητος* species prima et tertia), ad hanc autem id genus, quod argutiis non omissis praecipue ad elocutionem exornandam valet (Hermogenis species altera, quae est *κατ' ὁμοιότητα λέξεως*).[1])

Paronomasiae κατὰ διάνοιαν genus primum fit, quotiens vocabulo aliquo in re posito, qua adhiberi non solet, argutiae moventur; velut si Xenophon Cyneg. III, 8 de philanthropia canum memorat. Herm. p. 324, 10: ‚*τὴν γὰρ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους συνήθειαν*

1) Hermogenis speciem quartam, quae tropos audaciores attingit, respuo: p. 327, 1 ‚*Λοιπὸν εἶδος δριμύτητος ... γίνεται, ὅταν τροπῇ τινι χρησάμενοι μὴ σφόδρᾳ αὐστηρᾷ μηδὲ σκληρᾷ κατ' ἀκολουθίαν ἐκείνης ἑτέραν ἐπενέγκωμεν τροπὴν σκληροτέραν μέν, οὐ μὴν δοκοῦσάν γε εἶναι τοιαύτην διὰ τὸ ἀκόλουθον τοῦ προειρημένου'.*

[redacted]

καὶ τὸ συνεῖναι ἀνθρώποις ἀσπάζεσθαι φιλανθρωπίαν ὠνόμασεν, οὐ κυρίως μὲν ἐπὶ τούτου τοῦ πράγματος οὔσης τῆς λέξεως, ἐπ' ἄλλου γὰρ τάττειν εἰώθαμεν τὴν φιλανθρωπίαν, κυρίως μέντοι πως σημαίνων τὸ πρᾶγμα'.

Alterum genus, quod in verborum ambiguitate consistit, fit, quotiens vocabulo alicui modo proprie adhibito tum subito ac praeter opinionem alia subicitur sententia. Herm. p. 326, 5: ‚ἕτερον δὲ εἶδος δριμύτητος, τὸ ἐκ παρονομασίας, .. ὅταν κυρίῳ τινὶ ὀνόματι ἢ ῥήματι χρησάμενοι εἶτ' εὐθὺς ἑπόμενοι τούτῳ χρησώμεθα, καὶ ἐφ' οὗ μὴ κύριόν ἐστι πράγματος. οἷον, (Dem. Phil. III, 17, p. 115) εἰ μὴ καὶ τοὺς τὰ μηχανήματα ἐφιστάντας εἰρήνην ἄγειν φήσετε, ἕως ἂν αὐτὰ τοῖς τείχεσιν ἤδη προςαγάγωσιν'.

Huc quidem spectat, quod Aristoteles Rh. III, 11, p. 127. Sp. memorat περὶ τοῦ καινὰ λέγειν: ‚καὶ ὃ λέγει Θεόδωρος τὸ καινὰ λέγειν. γίγνεται δέ, ὅταν παράδοξον ᾖ, καὶ μὴ ὡς ἐκεῖνος λέγει πρὸς τὴν ἔμπροσθεν δόξαν, ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς γελοίοις τὰ παραπεποιημένα, ὅπερ δύναται καὶ τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα. ἐξαπατᾷ γάρ. καὶ ἐν τοῖς μέτροις· οὐ γάρ, ὥσπερ ὁ ἀκούων ὑπέλαβεν· ‚ἔστειχε δ' ἔχων ὑπὸ ποσσὶν χίμετλα', ὃ δ' ᾤετο πέδιλα ἐρεῖν. τὰ δὲ παρὰ γράμμα ποιεῖ οὐχ ὃ λέγει λέγειν, ἀλλ' ὃ μεταστρέφει ὄνομα'. Revocat autem hanc speciem ad parilitatem soni verborum variorum; sed idem verbum semel tantum positum est: ‚οἷον τὸ Θεοδώρου εἰς Νίκωνα κιθαρῳδὸν θράττει σε' cf. adn. Speng.

Post Hermogenem Phoebamon et Tiberius huiusmodi argutias paronomasiae nomine notaverunt. Neque Phoebamonem praeteriit hanc rationem πλοκήν attingere p. 500, 10, παρονομασία δέ ἐστι ... θέσις τῆς αὐτῆς λέξεως ἐπ' ἄλλου καὶ ἄλλου σημαινομένου κατ' ἐναλλαγὴν τοῦ νοῦ, ὁ πλοκῆς ἴδιον'. Sed ploce argutiae non captantur cf. p. 35. Tiberius autem plane ex Hermogene pendet p. 556, 1: ‚Π. δέ ἐστιν, ὅταν προειρημένου τοῦ κυρίου παρονομάσῃ τις αὐτοῦ τὴν μεταφοράν'.

Paronomosiae κατὰ λέξιν, quae, ut est apud Hermogenem p. 325, 15 ‚καθ' ὁμοιότητα λέξεως ἐμφαίνει τινὰ δριμύτητα, bonam definitionem statuit Alexander p. 477, 3: ‚Π. δὲ γίνεται, ὅταν τι τῶν ληφθέντων εἰς τὴν διάνοιαν ὀνομάτων ἢ ῥημάτων βραχὺ μεταποιήσαντες, ἑτέραν κινήσωμεν ἔννοιαν'. Exempla sumunt Hermogenes ex Dem. Chers. p. 96, 22. R. ‚μέλλει πολιορκεῖν, τοὺς Ἕλληνας ἐκδίδωσιν· μέλει γάρ τινι τούτων τῶν Ἀσίαν οἰκούντων

Ἑλλήνων . .', Alexander ex Dem. π. παραπρ. p. 378, 24, ‚συλλόγοι—λόγοι', ex Thuc. II, 62 ‚φρονήματι—καταφρονήματι', alia. Cf. Arist. Rh. III, II, p. 127: ‚οὕτω δὲ καὶ τὰ ἀστεῖα . . . ὥσπερ Ἰσοκράτης τὴν ἀρχὴν τῇ πόλει ἀρχὴν εἶναι τῶν κακῶν' (v. adn. Speng.). Posita est igitur paronomasia κατὰ λέξιν in *binis* vocibus inter se vel plane paribus vel non multum diversis, quarum similitudine argutiae moveantur.

Quantae vero similitudines varietatesque verborum, quibus paronomasia fiat, esse possint, copiose nos Cornificius docet, qui IV, 21, 29, p. 155, paronomasiae hac definitione proposita: ‚*adnominatio* est, quom ad idem verbum acceditur cum mutatione unius aut plurium litterarum, ut ad res dissimiles similia verba adcommodentur', quattuor rationibus eam confici monet: I. vel attenuatione vel productione vocalis, II. vel additione vel demptione singularum litterarum, III. vel translatione litterarum, IV. vel commutatione unius litterae. Ceteras quarum Cornificius mentionem facit adnominationis rationis seiungo a paronomasia. Una autem transferenda est ad parechesin: ‚sunt autem aliae, quae non habent tam propinquam verbis similitudinem et tamen dissimiles non sunt'; cui rationi exemplum supposuit: ‚quid veniam, qui sim, quem insimulem, cui prosim, quae postulem, breviter cognoscetis'. De altera ratione: ‚tertium genus est, quod vorsatur in casuum commutatione', quae polyptoton redolet, infra memorabo. Neque cum Diomede consentio, qui etiam paregmeni vim paronomasiae impressit (cf. p. 50). Ceterum species eius altera p. 446, 16: ‚et aliter paronomasia fit, cum dictio iteratur, quotiens nomine simili utimur in significatione diversa' paronomasiae κατὰ λέξιν congruit.

Praeter Cornificii *adnominationem*, etiam *denominatio* adhibetur a Diomede p. 446, 13; a Donato p. 398, 15; levis *immutatio*, Aq. Rom. p. 30, 32; Mart. Cap. p. 481, 6; adnominatio vel *adfictio*, Jul. Ruf. p. 51, 23. Auctor carm. de fig. p. 67, 109, *supparile* posuit:

‚Supparile est alia aequisono si nomine dicas:
Mobilitas non nobilitas; bona gens, mala mens est;
Dividiae non divitiae; tibi villa favillast.'

Paucis deinceps dicendum est de (III) *pariso* schemate, quod *unum ab Hermogene evolvitur* π. μεθ. δειν. c. XVI., iterumque

[redacted]

tractatur a Gregorio Corinthio Hermogenis commentatore. Hermogenes autem p. 421, 2: ‚Πάρισον σχῆμα ἔστι τε καὶ λέγεται, ὅταν τὸ αὐτὸ ὄνομα ἄλλην καὶ ἄλλην προςλαβὸν συλλαβὴν διαφόρως διανοίας ἔχῃ· παρὰ μὲν Ἰσοκράτει οὕτως (π. Δημ. § 18, p. 7. B.) ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής. τὸ γὰρ μανθάνειν ἐν ἀμφοτέροις ἐστιν· ἀλλ' ὅπου μὲν τὸ πολὺ πρόςκειται, καὶ σημαίνει τὸν πολλὰ εἰδότα· ὅπου δὲ τὸ φίλον πρόςκειται, καὶ ἔστιν ὁ ἡδέως μανθάνων'. Res igitur perspicua: parison ut Hermogeni placuit, de verbis compositis fit, quae secundo loco idem verbum praebent[1]; nomen autem quo Hermogenes utitur latius patet, nec scio an idoneum sit ad singularem illam similitudinem significandam, praesertim cum πάρισον sollemniter in aliam sententiam accipiatur (cf. p. 17). Certe ubi usus veniet, Hermogenis nomen adiungam.

§ 8. De *paregmeno* et *polyptoto* ita dissentiunt Vossius et Maehlyus, ut ille inst. or. p. 308 paregmenon moneat subici posse polyptoto, hic p. 222 polyptoton paregmeni speciem esse existimet. Sed videbimus utrumque erravisse. Nam tantum abest, ut altera figura alteri supponatur, ut utraque suam sibi vindicet regionem.

(IV) *Paregmeni*[2] notio repetenda est a Julio Rufiniano, qui solus ex illis, quorum scripta nobis tradita sunt, de ea figura idque acute disputavit. Nam Cornificii *traductio* alio transferenda est. Jul. Ruf. igitur paronomasiae notione explicata p. 51, 33: ‚παρηγμένον est aeque similis figura, cum ex supra dicto verbo aliud derivatur ... Latine dicitur derivatio'. Exemplis utitur Vergilianis

> Aen. V, 446. ultro | Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto | Concidit.
>
> XII, 640. Oppetere ingentem atque ingenti volnere victum.
>
> VI, 247. Voce vocat Hecaten [caeloque Ereboque potentem].
>
> Georg. IV, 108. Ire iter et castris audebit vellere signa.

Quae definitio quamvis ampla (nam complectitur etiam polyptoti id genus, quod ad eiusdem vocis in una sententia repetitionem

---

1) Plauti eius figurae usum coarguit Naekius R. M. 1829, p. 400: Nonnunquam verbum iteratur idem in compositis'. Aul. 406. G.; Rud. 616. F.; Tim. 820. R. al. l.

2) Lobeck, de figura etymologica [Graeca] Paralip. p. 501 sqq. G. Landgraf, de figuris etymolog. ling. Latin. act. sem. Erl. II, p. 1 sqq.

variato casu pertinet)[1]; tamen in se perfecta et quasi conclusa est: nam refutatis ceteris similitudinibus, tantum consistit in verbis *ab eadem stirpe derivatis*.

Scilicet nostrae figurae exempla omnino *pleonasmum* quendam redolent. Hac quidem re Rufinianus adductus esse videtur, ut cum p. 57 de ‚figura per pleonasmum'[2] memorat, iterum paregmeni exempla poneret renovaretque illa Vergiliana ‚ire iter' et ‚voce vocans'. Sed cogitari licet de duobus pleonasmi generibus: κατὰ διάνοιαν (‚oculis videre' apud Rufinianum) et κατὰ λέξιν (= paregmenon).

Praeterea Georgius Choeroboscus VIII, p. 813, 21, pleonasmo vim intulit paregmeni: ‚Π. ἐστιν, ὅταν πλεονάζῃ λέξις μηδέν τι πλέον σημαίνουσα, εἰ μὴ τὸ αὐτὸ, ὡς ἔχει τὸ, ἀντίος ἐναντίος, καὶ ἔναντι κατέναντι'. Simili pleonasmi exemplum adhibet anon. π. τροπ. VIII, p. 722, 7. W.: ‚τὸ ἔναντι καὶ ἐναντίον'.

Mirum quidem, quod παρηγμένον *Graecum* vocabulum in rhetorum Graecorum scriptis, quae aetatem tulerunt, nusquam invenitur. παραγωγή autem quod Cornificius legisse videtur, artis grammaticae vocabulum usitatum, a rhetoribus, ut a Tryphone VIII, 744, 9. W., qui pleonasmi primum genus παραγωγὴν esse memorat[3]) κατὰ νοῦν tantum intellegitur.

Παράθεσις eadem sententia ac paregmenon adhibetur ab Aristide τεχν. ῥητ. β'. IX, p. 412, 11. W.: ‚κάλλη δὲ ἐν λέξει ἡ παράθεσις τῶν λέξεων ποιεῖ, οἷον ὁ ἱπποφορβὸς ἵππων, συοφορβὸς συῶν'.

Ceterum carm. de fig. μετάκλισις, *declinatio* paregmenon exaequant, p. 67, 94. H.:

‚Declinatio, cum verbum declino parumper:
A primo puerum rectumst condiscere recte;
Dignos digna manent, plerumque bonis bene vortit.'

Traductionis autem, quas Cornificius statuit rationis, altera

1) cf. alterum exempl. Aen. XII, 640.

2) Non bene fecit Landgraf § 1, p. 6, quod ‚de nomine atque historia figurae etymologicae' quaerens omisso illo quod Rufinianus de paregmeno docet, hunc tantum locum laudavit. Nec *pleonasmum* figurae *nomen* esse voluit Rufinianus; nam ‚figuram per pleonasmum' in numero earum habet quae ‚careant appellationibus propriis'.

3) παραγωγὴ [sic M. A. παράγωγον cod. Gal.] μὲν οὖν ἐστι λέξις ἐν αὐτῇ τὸ πλεονᾶζον ἔχουσα· οἷον κελαινεφὲς αἷμα· οὐ γὰρ ἔγκειται τὸ νέφος.

nescio quo spectat, altera paronomasiam redolet. IV, 14, 20, p. 145, 9. K.: ‚Traductio est, quae facit, uti quom idem verbium crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddit.' Cui definitioni vagae et erranti, quoniam exemplum subiungit polyptoti: ‚qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere', suspicari liceret totam rationem ad polyptoton pertinere, nisi alio loco IV, 22, 30, p. 157 ipsum polyptoton tractavisset. Altera ratio paronomasiae est: ‚ex eodem genere est exornationis, quom idem verbum ponitur modo in hac modo in altera re, hoc modo: cur eam rem tam studiose curas, quae tibi multas dabit curas. ‚item: nam amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari', cf. Quint. IX, 3, 70, p. 161, 20.

Contra *paronomasiae*, quam Diomedes determinat, ratio prior, p. 446, 13: ‚paronomasia est veluti quaedam denominatio cum praecedenti nomini aut verbum aut nomen adnectitur ex eodem figuratu, ut fugam fugit, facinora fecit ....' itemque Eusthatii παρονομασία, p. 340, 30: ‚*τὸ ἀγορὰς ἀγορεύειν ἀττικόν ἐστιν, ὡς τὸ βουλὰς βουλεύειν καὶ λόγον λέγειν — καλεῖται δὲ τὸ σχῆμα παρονομασία*', ad paregmenon referenda sunt.

(V) *Polyptoti* generalis definitio est apud schol. ad Herm. π. ἰδ. α'. VII, p. 1043, 3. W.: ‚*Πολύπτωτόν ἐστι τὸ μεταβάσεις ἔχον ἀπὸ πτώσεως εἰς πτῶσιν*'; nec non apud anon. π. σχημ. VIII, p. 709, 11. W.: ‚*Π. ἔστι λόγος ὁ πολλῶν ἀντιλαμβανόμενος πτώσεων*'. Inter Romanos Charisius, Diomedes, Donatus, Pompeius, Claudius Sacerdos definitionibus aeque amplis utuntur; ut Char. p. 282, 14: ‚p. est oratio per plures variata casus'; Diom. p. 447, 20: ‚p. est oratio casuum varietate distincta'. Sed ceterorum definitiones et exempla docent duo esse genera polyptoti duasque rationes.

(1.) Ac primum genus continetur *varietate casuum verborum variorum*. Corn. IV, 22, 30, p. 157, 17: ‚tertium (adnominationis) genus est, quod vorsatur in *casuum commutatione aut unius aut plurium nominum* ... *plura* nomina casibus commutatis hoc modo facient adnominationem: *Tiberium Gracchum* rem publicam administrantem prohibuit mali civis scelus et indigna nex, diutius in eo commorari; *C. Graccho* similiter occisio est oblata, quae virum rei publicae amantissimum subito de sinu civitatis eripuit; Saturninum fide captum malorum perfidia et scelus vita privavit; tuus, o Druse,

sanguis domesticos et voltum parentis aspersit; Sulpicio qui paulo ante omnia concedebant, eum brevi spatio non modo vivere sed etiam sepeliri prohibuerunt.' Atque hoc exemplum *κατὰ κῶλα* extat; alio, quod est *κατὰ μέρος λόγου*, utitur anon. π. σχ. VIII, p. 709, 13: ‚*ἐκείνων ἐσμὲν καὶ γένος καὶ μαθηταὶ οὓς στύλος πυρὸς καὶ νεφέλη ὡδήγουν· ἐνταῦθα γὰρ ἀπὸ πτώσεως τῆς γενικῆς εἰς πτῶσιν αἰτιατικὴν μετηνέχθη.*'

(2.) De altero genere, quod consistit *in eiusdem nominis casuum variatione*, veteres fusius disputaverunt. Nonnulli vero hoc tantum genus probaverunt, ut Zonaeus p. 686, 4. W.: ‚*π. ἐστιν, ὅταν ὁ αὐτὸς λόγος πολλῶν πτώσεων ἀντιλαμβάνηται*'.

Duae igitur praeterea rationes sunt. Atque una, (a.) *πολύπτωτον κατὰ μέρος λόγου*, fit, quotiens singula vel plura verba *in una atque eadem sententia* casus variant. Aliam quidem rationem non cognovisse videntur Charisius p. 282, 14; Donatus p. 398, 27; Pompeius p. 304, 12; Claudius Sac. p. 455, 22, qui et definitione et exemplo ex Vergilio repetito consentiunt, Aen. 628 sq.:

‚Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotesque.'[1])

(b.) Altera ratio est *πολύπτωτον κατὰ κῶλα*; Herm. π. ἰδ. α' p. 288, 17: ‚*ἔτι κάλλους ἴδιον καὶ τὸ πολύπτωτον καλούμενον σχῆμα, εἰ κατὰ κῶλον ἐκφέροιτο*'. Ut anonymus π. σχ. VIII, p. 646, 21. W. qui ex Hermogene pendet, — ipse quidem ut Hermogenis methodum explanaret sibi propositum esse fatetur p. 617, 12 — in definitione sua *ἢ ἄλλο γένος* adderet: ‚*Π. δὲ τὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος ἢ τῆς αὐτῆς ἀντωνυμίας κατὰ κῶλον ἄλλην πτῶσιν ἢ ἄλλο γένος ἐκφέρεσθαι*', adductus esse videtur Hermogeneo priore exemplo, cuius vim non recte intellexit. Nam Dem. π. στεφ. in. p. 291. R.: ‚*Αὕτη τῶν περὶ Θήβας ἐγένετο πραγμάτων ἀρχὴ καὶ κατάστασις πρώτη, τὰ πρὸ τούτων εἰς ἔχθραν καὶ μῖσος καὶ ἀπιστίαν τῶν πόλεων ὑπηγμένων ὑπὸ τούτων.*[2]) *τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότε τῇ πόλει*

1) Pompeius versum priorem tantum adfert.

2) Quod apud Hermogenem verba inde a *τὰ πρὸ τ.* usque ad *ὑπὸ τ.* desunt in codicibus librariorum neglegentia factum esse videtur. Nam exemplum, quemadmodum exhibitum est, nullo modo quadrat ad polyptoton, de quo, quod Hermogenes cogitavit, alio exemplo constat, π. παρασκ. p. 436 ext.: ‚*οὗτοι γὰρ ἡγοῦνται, τούτοις πείθεσθε· ὑπὸ τούτων δέος ἐστὶ μὴ παρακρουσθῆτε*'. Hoc autem exemplo Demosthenei et Hermogenei codices ad verbum conveniunt.

[redacted]

περιστάντα κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν ὥσπερ νέφος' polyptoton in casuum vicibus nominativi (αὕτη), genetivi (τούτων), rursumque nominativi (τοῦτο) cernitur.

Huius rationis usus sollemnis est κατ' ἀρχὴν τ. κώλων; Aq. Rom. p. 33, 23. H.: ‚hanc figuram ex eo nominaverunt, quod cum saepius *initium* ab eadem parte orationis fiat, illa ipsa pars declinationibus casuum [1]) . . . immutatur'. Alterius quamquam a veteribus rhetoribus non laudati usus, qui est κατὰ τέλος τ. κώλων, exempla non desunt apud veteres Romanorum poetas.

Ceterum repudio Aquilae Romani, quo polyptoti vim amplificavit, additamentum p. 33, 24: ‚aut *generibus*, aut *numeris*'. Namque utrumque genus ad paregmenon transferendum est, cuius κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων usus Aquilanis exemplis in medium vocatur, p. 33, 29: ‚generibus autem hoc modo: Pulchra autem haec fama continget civitati, si optime meritum civem damnaverimus. Pulchrum erit exteras nationes existimare infestiores nos esse bonis quam malis. Pulchre communibus utilitatibus consulemus, si, quos oppressos et hostes cupiere, nos circumvenerimus. Numeris autem sic: Grata semper singulis fuerunt, quae commodi eorum causa constituti sunt. Gratum ille superior Africanus senatoribus fecit, qui primus eius ordinis subsellia a populo liberavit'.

Latinum vocabulum pro polyptoto non invenitur nisi in carm. de fig. p. 67, 106 ‚*multiclinatum*'.

Habes igitur parium similiumque definitiones; restant figurae repetitionis. Sed priusquam illas attingam, brevi in conspectu ponam differentias eorum schematum, quorum rationes inter se alia in aliam quasi radios mittunt, ea dico, quae aliqua similitudine sunt inter se: homoeoarcton, parechesis, paronomasia, paregmenon, polyptoton. Etenim has figuras ut confunderent, scio quibus acciderit.

Quare quoniam recentiores in primis *paronomasiae* aequo plus tribuere solent, discrimen statuendum est inter paronomasiam κατὰ λέξιν et illas alias. Nam paronomasia κατὰ διάνοιαν, ne pro aliis ponatur, non verendum est. Attamen iuvabit paronomasiae utramque rationem certis notare limitibus.

---

1) p. 33, 26: ‚Casuum declinationibus hoc modo: Senatus est summum imperii consilium: senatui reipublicae cura mandatur: ad senatum in dubiis periculosisque rebus omnis civitas respicit'.

Paronomasia autem *κατὰ διάνοιαν* consistit in *uno atque eodem verbo,* quod aliud atque alium sensum movere potest. Quod si accidit ut iteretur, pronomen pro eo substituitur vel aliud vocabulum. Contra paronomasia *κατὰ λέξιν* ad *bina* atque inter se similia verba pertinet: alterum vero vocabulum exaequare potest alterum, dummodo diversum moveant sensum.

In numero verborum etiam discrimen novi paronomasiae *κατὰ λέξιν* et aliarum figurarum, quoniam haec in *binis tantum*, illae aliae in *binis vel pluribus* versantur vocabulis.

Praeterea dictionum, quibus *parechesis* fit, similitudo pertinet ad *stirpem* singulorum verborum; atque stirpes, etiamsi non postulatur, ut plane pares sint inter se, tamen plerasque litteras easdem habere oportet; ac ne maior quidem verborum similitudo aliena est a parechesi. Paronomasia autem *sibi vindicat* dictionum similitudinem maiorem, et quae *ad tota vocabula* pertineat. In parechesi porro *non agitur*, ut argutiae moveantur, etsi possunt inesse argutiae. Paronomasia autem acumen lepidum atque urbanitatem *requirit.* Idemque discrimen intercedit inter paronomasiam et paregmenon, paronomasiam et polyptoton, paronomasiam et homoeoarcton. Atque ut paregmenon in verbis ab eadem stirpe derivatis et polyptoti genus alterum in eiusdem verbi casuum commutatione consistunt, ita paronomasia *plerumque* ad similitudinem pertinet verborum *non ab eadem stirpe derivatorum;* aut si verba inter se cognata sunt, similitudinem eam esse necesse est, ut vel altera vox alteram plane exaequet[1]), vel singulae tantum litterae mutatae sint.

Homoeoarcton vero a ceteris figuris hac re differt, quod similitudo ad primas tantum litteras, vel summum ad primas syllabas pertinet verborum *omni adfinitate carentium.* Singularem locum obtinent verba composita, quae et eandem praepositionem et verbi simplicis primas litteras easdem habere possunt.[2])

§ 9. *Repetitionis* artis vocabula omnia exhibere minime mihi proposui; nullius enim rei tot apud veteres rhetores extant nomina quot repetitionis. Sed his quinque *epanastrophe, epizeuxi*, *anadi-*

---

1) Ut Cornificii traductionis exemplum, quam in paronomasiam ascivi: ‚cur eam rem tam studiose curas, quae tibi multas dabit curas'.

2) cf. Claudii Sac. ‚parhomoei' exemplum, Ter. Heaut. 209. U.: [Necésse est] *Clitiphó consilia cónsequi consímilia.*

[redacted]

plosi, *ploce*, *epanalepsi* varias repetitionis rationes fere me esse adsecutum puto. Nam de epanaphora, antistrophe, symploce, quas paromoeosi subiectas habeo, supra memoravi.

Epanastrophes igitur Hermogenes duo genera statuit. Ac primum genus *ἐπαναστροφὴ κατὰ συλλαβὴν* Hermogene auctore p. 286, 7, fit, ‚*ὅταν τις μίαν λέξιν μερίσας τὰς τελευταίας συλλαβὰς ἀρχὴν τοῦ ἐπιφερομένου ποιήσηται κῶλον.*[1]) *ὡς ὁ Θουκυδίδης* (VIII, 16 in.), *Σαμία μία ναῦς. καὶ* (III, 22) *αὐτίκα βοὴ ἦν. καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ* (Il. *β*. 758) *Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν.* Epanastrophes non nomen sed usum eumque Ciceronianum reprehendit Quintilianus IX, 4, 41: ‚videndum etiam ne syllabae verbi prioris ultimae et primae sequentis sint eaedem: quod ne quis praecipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit: res mihi invisae visae sunt Brute, et in carmine: O fortunatam natam me consule Romam' cf. Diomed. p. 466, 1. K. Eiusdem figurae usum Vergilianum vituperat Servius ad Verg. Aen. II, 27: ‚Dorica castra. Mala est compositio ab ea syllaba incipere, qua superior finitus est sermo. nam plerumque *cacemphaton* facit ut hoc loco'. cf. Mart. Cap. 433, 7; 475, 24. H.; Isid. 517, 8. H.[2])

Alterum autem genus *ἐπαναστροφὴ κατὰ κῶλα* in repetitione vel *eiusdem verbi* continetur, Herm. *π. ἰδ. α'.* p. 286, 2: ‚*γίνεται δέ, ὅταν τὸ τέλος τοῦ κώλου ἑτέρου κώλου τις ἀρχὴν ποιήσηται*', vel *eiusdem commatis*, p. 286, 12: ‚*τὸ οὖν* (Il. *υ'* 371):

---

1) *τοῦ ἐπιφερομένου κώλου* perperperam posita esse pro *τῆς ἐπιφερομένης λέξεως* exempla docent.

2) De epanastrophes *κατὰ συλλαβὴν* usu, quoniam permulti homines docti quaesiverunt, nemo eorum epanastrophes nomen recepit. Adrianus Turnebus advers. VII, 19, et Petr. Victorius var. et ant. lect. XVI, 19, ad illum famosum Ciceronis versum ‚O fortunatam natam' etqs. de *iteratione* earundem syllabarum memorant; Fulvius Ursinus ‚Verg. coll. script. Graec. ill. ad Aen.' II, 27, *κακόφατα* vituperat. Muretus autem ad Tib. I, 1, 3 et 7, ‚apparet, inquit, hunc poetam elegantiam quandam putasse esse in eiusdem syllabae continuata repetitione, ut supra Me mea: et nunc ipse seram: et mox Roma manu: et infra, multa tabella et sicca canis et tam multis locis denique, ut constet, hoc non casu sed dedita opera factum'. Post quem Broukhusius ad Tib. I, 1, 3, *geminationem* posuit in Me mea, eodemque vocabulo utitur Giffanius in Conl. Lucretianis. *Adlitterationis* vero secunda species in una postrema atque altera prima syllaba a Naekio cernitur. M. R. 1829, p. 380 *sqq.*

Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

ἐπαναστροφὴ ὄν, οὐκ ἔσθ' ὅμοιον τοῖς προειρημένοις, οὐδ' ὁμοίως ἐπιβεβουλεῦσθαι δοκεῖ, διότι μὴ συλλαβαῖς, ἀλλὰ μηδὲ λέξει, κόμματι δὲ ὅλῳ ἀντέστραπται.' Hinc nomen posui illi rationi ἐπαναστρ. κατὰ λέξιν, huic καθ' ὅλα κόμματα.

Epanastrophe κατὰ κῶλα a plerisque ἀναδίπλωσις vocatur ut a Charis. p. 281, 11; Diom. p. 445, 7; Don. p. 398, 1; Pomp. p. 302, 26; Claud. Sacerd. p. 458, 4. K.; ἀναδίπλωσις, *reduplicatio*, ab Aq. Rom. p. 32, 6; Mart. Cap. p. 481, 18. H. *Epanalepsi* etiam epanastrophes exempla supposuit Alex. π. σχ. p. 445, 1; nec fugit Alexandrum ab aliis hanc figuram anadiplosin appellari p. 446, 3: ‚τοῦτο δέ τινες ἰδίως ἀναδίπλωσιν λέγουσιν, ὅταν τὸ δεύτερον λεγόμενον ἄρχηται ἀπὸ τῆς τοῦ προηγουμένου τελευτῆς'. Παλλιλογία in eandem sententiam accipitur a Zonaeo p. 681, 15. W. et a Jul. Rufin. p. 50, 1. H., qui idem ‚*regressione*' utitur.

Epizeuxeos definitionem ab Herodiano et Diomede repeto. Herod. p. 603, 13. W.: ‚Ἐ. δέ, ὅταν τὰ προκείμενα ὀνόματα διαλαμβάνοντες τὴν ἐπιφορὰν ἐκφαντικωτέραν ποιησώμεθα, οἷον (Aesch. III, 133, p. 176, W.) ‚Θῆβαι δέ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων' κτλ. Diomedes autem p. 446, 9. K.: ‚epizeuxis est eiusdem dictionis in eodem versu *sine aliqua dilatione* geminatio *cum impetu pronunciationis*'. cf. Donat. p. 398, 12; Pomp. p. 303, 6; Claud. Sacerd. p. 458, 14. K. Duobus igitur signis epizeuxis cernitur, quoniam non solum verba proxime inter se distare[1]), sed etiam repetitionem cum impetu pronunciationis efferri necesse est.

Pro epizeuxi παλιλλογίαν, *iterationem* in usu habent Aquila p. 31, 12; Mart. Cap. p. 481, 10. H.

Anadiplosis repetitionem eiusdem vocis in eadem sententia significat: utrum verba continuata an aliis inter se discreta sint, nil differt. Zonaeus p. 682, 1: ἀναδίπλωσίς ἐστι λέξεων προφορὰ ἐπάλληλος .... γίνεται δὲ καὶ μεταξὺ λέξεως ἐμβεβλημένης. repetitio fit *sine* impetu pronunciationis.

---

1) ‚sine aliqua dilatione' hoc intellego, ut nullae nisi parvae voculae *sive particulae* sive interiectiones, vel verba quae pro interiectionibus ponuntur, *ut age, agite, inter eas*, quibus epizeuxis fiat, voces intercedere liceat.

Ploce ut Alexandro p. 479, 9. W.; Aquilae p. 31, 7; Mart. Cap. p. 481, 8, placuit, repititionem eiusdem verbi vario sensu significat. Alex. l. l.: ‚ἐπὶ τούτου τοῦ σχήματος ταῖς αὐταῖς λέξεσι χρώμενοι πλεονάκις ἕτερα σημαίνομεν'. Aquila l. l.: ‚Πλοκή, *copulatio.* Ea figura elocutionis in qua idem verbum aut nomen, bis continuo positum, diversa significat'.[1]) Ceterum non omittendum est Alexandrum l. l.: ‚περὶ ἀντιμεταθέσεως ἢ συγκρίσεως (συγχωρήσεως, συγχρήσεως v. adn. Walzii) ἢ πλοκῆς quaerere.

Epanalepsis apud complures rhetores ut ap. Alex. p. 444, 10, latiorem quandam habet notionem; apud Charisium autem p. 281, 18, et Diomedem p. 445, 29, epanalepsis repetitionem eiusdem vocabuli in initio et fine sententiae alicuius significat; quos sequi libet. Jul. Rufin. p. 50, 19, eandem rem *epanadiplosin*, *inclusionem* appellat.

Cap. II.

De paromoeoseos apud veteres Romanorum poetas usu.

A. De paromoeosi κατὰ μέρος λόγου.

I. De homoeoarcto.[2])

§ 10. Quoniam in natura paromoeoseos situm est, ut ea figura praecipue adhibeatur a poetis, quotiens sermo maiore quodam impetu atque elatione effertur quotiensque oratio supra cotidianae consue-

---

1) p. 31, 8: ‚ut est illud: Sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. Ita enim hoc bis positum est, ut superius quidem nomen tantum significet hominis, posterius velit intellegi eundem qui semper fuerit ac cui similem'. Exemplum renovatur a Capella; sumptum est e Cicerone: frgm. p. 468. Or.

2) Praeter eos, de quibus supra p. 15 sq. memoravi, etiam hi vel uberius vel strictius homoeoarcti (adlitterationis) Romanorum usum attigerunt. Pareus lex. Plaut. s. v. geminatio; Columna, vita Ennii p. 9; Lachmann, Hall. Enc. s. v. Allitteration; Stieglitz, De Pacuv. Dulor. p. 81. — Schlüteri ‚Veterum Latinorum all. cum nostratium all. comparata' et Theobaldi ‚De annominationis et allitter. ap. Cicer. usu' opera videre mihi non licuit. — Fuchs, Die romanischen Sprachen in ihrem Verh. zum Lat.,

tudinis ieiunitatem assurgens τραγικῶς fluit vel κωμικῶς vel παθητικῶς, iam non expectamus aut homoeoarcti aut homoeocatalecti aut epanaphorae aut antistrophes insignem usum extare in inscriptionibus sive sepulcralibus sive votivis. Nam hae fere carent altiore sermone. Nihil autem est perversius, quam si quis ad quaestionem de homoeoarcti usu adire velit ab illa Westphalii sententia proficiscens, adlitterationem (homoeoarcton) prioribus temporibus ante Plautum etiam maiore vi fuisse, quam ipsa aetate Plauti.[1]) Nam facillime accidit, ut, qui prava illa opinione captus est, omnia homoeoarcta, etiam levissima exilia fortuita voluntate studioque poetae facta esse putet. Sed cum id tantum agitur, ut demonstretur poetam aliquem homoeoarcto usum esse, neque quaeritur, quem ad modum usus sit, fateor non magni esse momenti, si quis apertis manifestisque exemplis admisceat levia inania vana: paucis enim manifestis exemplis iam demonstratur, poetam, de quo quaestio fit, homoeoarcto non abstinuisse; scilicet de crebritate usus falsis exemplis eiectis alia fiet cogitatio nostra. Aliud quidem in nostra quaestione, quae est de homoeoarcti *loco*. Nam ut ex exemplis quibusdam conligatur, quam paromoeoseos in *thesibus* conlocandae poetae consecuti sint frequentiam quamque in *arsibus*; quos pedes porro quasque arses ceteris praetulerint: adeo opus est, ut casus dignoscatur a poetarum studio, ut, si hac re erratum sit, tota quaestio ad irritum cadat. Ergo de homoeoarcti *forma* atque exemplorum *probabilitate* nonnulla proponenda sunt.

Ac primum quidem de homoeoarcti *forma* statuendum est, homoeoarcton fieri inter verba, quae ab eisdem *consonantibus* incipiunt aut ab eisdem *vocalibus*. Atque verba a *consonanti* in-

---

p. 259 sqq.; Rossbach-Westphal, Griech. Metr. II², p. 36 sqq.; Luc. Mueller, De re metr., p. 452 sqq.; Bartsch, Der saturn. Vers u. d. altdeutsche Langzeile, p. 28 sqq.; Carolina Michaelis, Stud. zur roman. Wortschöpfg., p. 26; Ziwsa, Die eurhythm. Technik des Catullus. Jordan, Kritische Beiträge, p. 175 sqq.

1) Rossbach-Westphal, Griech. Metr. II², p. 38: ‚Man kann sich nun des Gedankens nicht entschlagen, dass in einer früheren, der plautinischen Zeit vorausgehenden, Periode' die Allitteration noch wirksamer gewesen sein muss: sehen wir sie doch im weiteren Fortschritt der Jahrhunderte, *je mehr die* Form der Poesie eine völlig griechische wird, immer mehr *und mehr ersterben*'.

cipientia secundo tertio loco aut easdem litteras aut aliud aliam vocalem praebere possunt. Neque quae alterius vocis secundo loco vocalem, alterius *r* vel *l* consonantes, aut quae in altera voce *r*, in altera *l* habent, reicienda sunt. Sigmatismus etiam extat inter duo vocabula, quorum alterum ab *sc* aut *sp* aut *st*, alterum a vocali incipit; non fit alio vocabulo ab *sc*, alio ab *sp*, alio ab *st* incipientibus.[1] Inter *varias vocales* homoeoarcton non est[2]; incertum est, num sit inter *a* vocalem *au ae* diphthongos. Cavendum autem est, ne singulis verbis magnum interpositum sit *intervallum*.[3] Duplicis quidem homoeoarcti verba non pluribus uno vocabulis inter se discreta esse possunt. In multiplicibus interdum accidit, ut aliud vocabulum ab alio duabus voculis seiuncta sit. Verba composita et praepositione et verbo simplici homoeoarcton faciunt.

Ex voluntate poetae homoeoarcta esse ut concedas postulo, quotiens pathetica sunt vel parodica vel blanda vel dulci vel amoena vel comica vi, omnino quotiens rei sententia litterarum suavi aut grandi aut molli aut horrido sono adumbratur; quotiens brevia commata altero alteri respondente homoeoarcto paulo firmius inter se coniunguntur; quotiens in descriptione, in enumeratione extant, quotiens denique insolita verba homoeoarcti causa electa esse videntur. Ceterum, etiamsi desunt haec signa, tamen de *multiplicibus*, si quidem in substantivis, adiectivis, verbis, adverbiis consistunt, dubitare non licebit. Praeterea *duplicium* exemplorum duae sunt classes: altera ea complectitur exempla, quae necessario casui

---

1) De his etiam infra quaeram: nunc eorum usum Woelfflinianis (Woelfflin, Die allitterir. Verb. etc. v. p. 15 adn.) formulis coarguo; exempla autem sumpta sunt e glossario Woelffliniano. Verbis secundo loco *a e i o u* voc. et *r l* cons. mutantibus: blande benigne, clades calamitas, causa crimen, flamma ferrum, furiae flammae faces, furta flagitia, frigus fames, ferro fame frigore, fraus furtum, plenus perfectus, plane perspicue, pacta promissa, proelia pericula, terror trepidatio, tigna trabes. Verbis sec. loco conson. *r* et *l* mut.: flecto frango, fragilis flexibilis, frons flores, fruges flos, gloria gratia, grandis gloriosus, placidus propitius, plenus praeclarus. Sigm. inter *sc sp st* et *s cum vocali*: scio sentio, saxa scopuli, solium sceptrum, spiritus sanguis, stirps semen, stellae sidera. Haesito in *sq* et *s cum voc.*: squalor sordes.

2) Homoeoarcton etiam inter varias vocales fieri Bartschius praecipit: Der saturn. Vers, p. 29.

3) cf. *Ribbeck*, Sc. R. P. I, p. XIX, ad Enn. 44.

tribuenda sunt, altera ea, quae ex voluntate poetae esse possunt. Illius quidem singulas rationes enumerare facile est, difficilius alteram ita definire, ut ea tantum exempla restent, quae aliqua cum probabilitate poetarum operae et curae dari possint.

Casui igitur ea exempla tribuenda sunt, quae cernuntur in substantivo cum pronomine coniuncto[1]; aut omnino in nomine et pronomine aliquo[2], quotiens hoc non gravem in sententia locum obtinet; aut in verbo composito praepositione repetita[3]; aut in substantivo adiectivo verbo adverbio cum praepositione coniunctione[4]; aut in duobus particulis.[5])

---

1) Jordan, Kr. Beitr., p. 176, ex Liv. Andr. ap. Fest. p. 225. M.:
Meám mátrem prócitum — plúrumí venérunt, ubi accedit, quod ‚*meam* codd. om. Muelleri coniecturae debetur.

2) R. Klotz, All. u. Symm., p. 5 et 24, ex Plaut. Mil. 21, 24:
Periúriorem *hoc hóminem* si quis víderit.
Nisi únum epityrum *i*lli éstur *i*nsané bene.

3) C. Ziwsa, D. eur. Techn. d. Cat., p. 16, ex Catullo XV, 15. M.:
In tantam *in*pulerit, sceleste, culpam.

4) Jordan, p. 174, ex Ennio vv. 52. 40. 82. 83:
Vix aegro *c*um *c*orde meo me somnus reliquit.
Nam me visus homo *p*ulcher *p*er amoena salicta.
[En] Remus *a*uspicio se devovet *a*tque secundam
Solus avem servat; *a*t Romulus pulcher in *a*lto.

Quorum posterius eo inanius est, quo longius verba inter se distant, praesertim in incerto *au et a* homoeoarcto. Immo eorum versuum homoeoarcton unum consistit in ‚*s*ecundam *s*olus avem *s*ervat'.

Klotz, p. 23, e Plauto Mil. 3, p. 31; Trin. 823. R.:
*U*t *u*bi *ú*sus veniat cóntra consertá manu.
Quóm suis me ex locís *in* patriam *u*rbem *ú*sque *in*columem réducem faciunt.

Ziwsa, p. 12, ex Catullo V, 1; XLVI, 6; LXII, 59; LXIV, 298; LXVI 34; LXXVI, 26:
Vivamus mea Lesbia *a*tque *a*memus.
*A*d claras *A*siae volemus urbes.
At tu ne pugna *c*um tali *c*oniuge virgo,
Inde pater divom sancta *c*um *c*oniuge natisque.
Non *s*ine taurino *s*anguine pollicitas
O di reddite mi hoc *p*ro *p*ietate mea.

5) Id. e Cat. LI, 9: Lingua *s*ed torpet, tenuis *s*ub artus.
Klotz e Plaut. Mil. 65/6:
Et líberalis. víde caesaries *qu*ám decet:
*Ne illaé sunt fortunátae, qu*ae cum istó cubant.

Possunt ex voluntate poetarum esse omnia ea, quae continentur substantivis, adiectivis, verbis, adverbiis varium in modum inter se coniünctis. In his profecto multa sunt quae forte sunt facta. Praecipue autem omnia, quae usum cotidianum redolent, idonea non sunt, ex quibus ars poetarum cognoscatur. Ut ea quae *formulae* speciem ostendunt, non minus substantiva cum epithetis usitatis coniuncta: mare magnum, magnus mons, magnum malum, magnae miseriae, calidum consilium, firma fides; quam verba translaticiis adverbiis inlustrata: perge porro, dudum dixi, ferme fit, parum pudet, libere loqui, docte dicere, pessume perire, alia phrases pervulgatae: flocci facere, rationem reddere, animum advertere, damnum dare, finem facere, infitias ire. De aliis, quoniam per se non tam aperta sunt, tamen eorundem apud varios auctores usu in medium vocato iudicare licebit. Ut Scip. elog. I, 2. B. Gnaivód patré prognátus — fórtis vír sapiénsque, scio quos delectat homoeoarcton *p*atre *p*rognatus. Formulam hanc pervulgatam fuisse Plautus docet, qui ad originem hominis alicuius significandam prognatus vocabulum vel cum patre vel cum genere vel cum matre (matris nomine) coniungit. Men. 408. 1078. 79; Amph. 614; Poen. V, 4; Aul. 212. G.; Capt. 170; Fl. Epid. 32. G.:

Nón ego te noví Menaechmum Móscho prognatúm patre.
Tú's Menaechmus? — Mé esse dico, Móscho prognatúm patre. —
Tún meo patré's prognatus? — 'Immo equidem, adulescéns meo.
Dávo prognatúm patre eodem, quo égo sum, forma aetáte item.
Nón eo sumus prognátae genere, támetsi sumus servaé soror.
Díc mihi quali me árbitrare génere prognatúm? — Bono.
Prognátum genere súmmo et summis dítiis.
Trávolaverúnt ad hostes. Túm ille prognatús Theti.

Cf. Amph. 651 et illud Ennianum a Jordano laudatum ann. 38. V.:

Et pátria et prognáti tutántur servántur.
Eúrudica *p*rognata, *p*ater quam noster amavit.

Scip. el. III, 7. B, ubi cum nomine patris extat, a Bartschio prolatum est p. 29:

Terrá, Publí, *p*rognátum — *P*úblió Cornéli.

Haec igitur omnia secernenda sunt ab arte poetarum; nec minus haec, quorum alterum Bartschio placuit p. 29, ex monumentis Caecilii et Eurysacis sumpta.

Hoc ést factúm monuméntum — Maárco Caícílio.
Est hóc *m*onuméntum *M*árcei — Vérgiléi Eurýsacis.

Nam poetam monumentum vocabulo sat usitato (cf. Curc. 140, 441; Mil. 704; Rud. 935), ut cum *prae*nomine mortui homoeoarcton faceret, usum esse, Bartschius ne utiquam mihi persuadebit. Quid? quod ne haec quidem, quae posita in binis substantivis adiectivis verbis adverbiis coordinatim inter se coniunctis firmae formulae speciem habent, ut carcer catenae, certus clarus, vivere valere, bene beate, haec dico, quibus Woelfflinius nomen posuit *allitterirende Verbindungen,* ad artem poetarum valent enucleandam. Nam hae formulae, quia omnibus inveniuntur Romanarum litterarum temporibus, non minus antiquissimis ante Livium Andronicum, quam posterioribus post aetatem Caesaris Augusti; quia in sermone poetico et in oratione pedestri aeque saepe nec solum a poetis oratoribus historicis, sed etiam a philosophis rhetoribusque adhibentur; quia multarum proverbialis usus late patet, ut harum nec vola nec vestigium, inter os et offam, oleum et operam perdidi: maxima ex parte in usu cotidiano ponenda sunt. Scilicet eximenda sunt ea, quae aliena a formulae specie poetici studii signa ostendunt. Ut quae vel multiplicia vel bina iuxta composita in descriptione faciei morumque adhibentur; ἀσυνδέτως autem fere conexa sunt: Ter. Hec. 440; Plaut. Merc. 639, 630; Mil. 544; Afr. com. 61:

Magnús rubicundus *cr*íspus *cr*assŭs *c*aésius.
Cánum *v*arum` *v*éntriosum *b*úcculentum *b*réviculum.
'Ad mandata *c*laúdus *c*aecus *m*útus *m*ancus débilis.
Me fuísse ex*c*ordem *c*aécum in*c*ógitabilem.
Vigiláns ac *s*ollers *s*ícca *s*ána *s*óbria.

§ 11. Hac igitur exempla seligendi ratione observata in centum et sexaginta *versibus saturniis,* quae certe agnoscuntur haec pono homoeoarcta.

I. *Quadruplici* homoeoarcto finitur epigramma Naevianum:

1. Ob-*l*íti súnt Romaé *l*o-quiér *l*atína *l*íngua.

II. *Triplicia* homoeoarcta:

A. in *ternis arsibus*. in II. IV. V. ars. Naev. 33. V:

2. — *s*cópas átque — *s*ágmina *s*úmpsérunt.

B. in *binis arsibus singulis thesibus adsumptis:*

in IV. V. ars. et 3. thesi: Naev. 42. V.:

3. — vicíssátim — vólvi víctóriam.

in III. IV. ars. et 6. thesi: Ded. Sor. 3, B.:

4. Decumá factá po-*l*oúcta — *l*eíbereís *l*ubéntes.

C. in *binis thesibus singulis arsibus adsumptis:*

in 2. 3. th. et IV. ars. Naev. 58:

5. Magnámque *d*omúm *d*ecorémque — *d*ítem véxárunt.

in 2. 3. th. et V. ars. Naev. 2:

6. Postquám *a*vés *a*spéxit — ín templo '*A*nchísa.

in 6. 7. th. et IV. ars. Epigr. Naev. 1.

7. Mortáles ímmortáles — *f*lére sí *f*orét *f*as.

III. *Duplicia* homoeoarcta.

A. in *binis arsibus*:

in IV. V. ars. Liv. Od. Prisc. p. 96, 7. H.; Non. p. 368; Naev. 10, 40; Ded. Sor. 5:

8. Inférus tibí an súperus — *f*ért deus *f*únera Ulíxes.

9. [Fuít Ulíxis] véstis — *p*úlla *p*úrpurea ámpla.

10. Eorúm sectám secúntur — *m*últi *m*órtáles.

11. Transít Melitám Románus — *in*sulam *in*tegram [ómnem].

12. Semól te oránt se vóti — *c*rébro *c*óndémnes.

in IV. VI. ars. Ded. Sor. 4:

13. Donú danúnt Hércolei — *m*áxumé *m*éreto.

in III. IV. ars. Scip. el. VII, 2. B.; Liv. Od. Fest. p. 225. M.:

14. Aetáte quóm *p*árva — *p*óssidét hoc sáxum.

---

2. scopas atque verbenas s. s. *Paul. Fest. p. 320. M.*
scopás atqué verbénas s. s. *Bartsch. glossema Hermannus delevit.*

3. Vicíssatím volví vic—tóriám ... *Vahlen. Bartschium secutus sum.*

7. *Si praetuleris lectionem Paris. habebis in 5. 6. th. et VI. ars.:*
Mortáles ínmortáles — sí *f*orét *f*as *f*lére.

8. Inferus an superus tibi fert *codd.* Inferus tibi an superus fert *Bhd.* (*hoc enim signo brevitatis causa meas notavi coniecturas*).

11. Romanus exercitus *libri.* omnem *om. codd. vers. rest. Vahlen.*
Transít Melitám Románu' — exércitus ínsulam íntegram *Bartsch.*

15. [Meám] mátrem *pró*citum — *pl*úrumí venérunt.
in II. III. ars. Sc. el. VI, 4. B.; Naev. 29:
16. Quibús sei in *ló*nga *lí*cui — sét tibi útier víta.
17. Prima íncédit Céreris — Prósérpiná puer.
in I. II. ars. Sc. el. IV, 5:
18. Hec *cé*pit *Có*rsica Alériaque — úrbe [púgnándod]. (?)
in I. III. ars. Naev. 5. cum pariso *κ. μέϱ. λόγου.* v. p. 26.
19. Res *dí*vas é*dí*cit — praédícit cástus.

B. in *singulis arsibus et singulis thesibus.*

in IV. ars. 7. thes. Naev. 29:
20. Prima íncédit Céreris — *Pr*ósérpiná *p*uer. (?)
in IV. ars. 6. th. Sc. el. VII, 4; Epigr. Naev. 3; Ded. Sor. 1:
21. Is híc sitús. quei núnquam — *ví*ctus ést *vi*rtútei.
22. Itaqué postquam ést Orcíno — *t*ráditús *t*hensaúro.
23. Quod ré suá d[i]feídens — *á*sper[é] *a*fleícta.

C. homoeoarcta *binarum vocum eadem praepositione compositarum:* Naev. 49:

24. Supérbitér *contém*ptim — *cónte*rít legiónes.

Ex qua exemplorum copia, ut de loco homoeoarcti accurate iudicari possit, ei versus eximendi sunt, qui ut est in metro flexibili verbis non mutatis varium in modum possunt disponi. Eius generis sunt 3. 6. 16. 17. 21. 22. 23. Atque 3. — vicissatim volvi victoriam homoeoarcton sane manifestum aut in fine versus:
— vicíssátim — vólvi víctóriam ut Bartschio placuit, aut in initio conlocari potest:

Vicíssatím volví vic-tóriám — quod Vahlenus maluit.

Itemque duobus modis describi possunt

6. Postquám avés aspéxit — ín templo ʼAnchísa. (Vahlen, Bartsch.)
Postquám aves áspéxit — ín templo ʼAnchísa. (Bhd.)

---

16. Quibus sei ín longá licuíset — tíbe utiér víta *Bartsch. Ritschelium secutus sum.* Quibus seí in longá licu[í]set tibe útiér vita *Buecheler.*
17. *sic Vahlen*; — — príma íncédit || Cererís Prosérpiná puer. *Bartsch.* omissa Ritscheliana de vers. sat. lege tertia: ‚nec saepius quam in singulis hemistichiis semel reliquae (= 2. 3. 5. 6.) theses supprimantur'.
18. Hec cépit Córsica ʼAleri — áque urbé pugnándod. *Ritschl. pugnandod in lapide deletum restituens.*
Hec cépit Córsicá Alériaque úrbe [clásid] *Buecheler*, *ind. lect. Bonn.* 1876.

16. Quibús sei in lónga lícui-sét tibe útier víta. (Ritschl.)
Quibus sei ín longá licuíset — tíbe utiér víta. (Bartsch.)
17. Prima íncédit Céreris — Prósérpiná puer. (Vahlen.)
— príma íncédit
Cererís Prosérpiná puer — (Bartsch.)
21. Is híc sitús, quei núnquam — víctus ést virtútei. (Ritschl.)
Is híc sitús, quei núnquam — víctust vírtútei. (Bhd.)
22. Itaqué postquam ést Orcíno — tráditús thensaúro. (Ritschl.)
Itaqué postquam ést Orcíno — tráditus thénsaúro. (Bhd.)
23. Quod ré suá difeídens — ásper[é]afleícta. (Ritschl.)
Quod ré suá difeídens — ásper[e] áfleícta. (Bhd.)

Ceterorum vero exemplorum hic est conspectus. Quadruplex homoeoarcton unum extat in binis arsibus et binis thesibus. Sed fieri non potuit quin ex. 1. *loquier latina* in thesibus delitesceret, quoniam *latina* bacchiaci vocabuli prima syllaba in arsi conlocari nequit: quo etiam *loquier* ne in arsi extet prohibetur. Triplicium unum (2.) tres arses occupat, in quibus quartam et quintam. Exempl. 4. *lubentes* quod iambice inchoatur in thesi delitescere necesse est; 5. *domum decoremque* et 7. *foret fas* caesura et fine versus pressa esse videntur. Duplicia homoeoarcta omnia in arsibus extant uno atque leviore (20.) excepto. Atque in IV. V. ars. quinque inveniuntur, in IV. VI. unum: ergo in arsibus posterioris hemistichii omnino sex exempla patent. In III. IV. ars. conlocata sunt duo, in III. V. unum: ergo utriusque hemistichii singulas arses tria homoeoarcta obtinent. Prioris hemistichii in binis arsibus duo exempla extant, alterum non satis apertum 18. in I. II., alterum cum pariso coniunctum in I. III. arsibus. Praeterea inter verba eadem praepositione composita semel fit homoeoarcton; atque alterius vocabuli praepositio, alterius autem verbi simplicis prima syllaba in arsibus conlocata sunt.

Iam vero ex hoc conspectu hae tres leges conliguntur:

1. *Poetae quantum potuerunt homoeoarcta in arsibus locaverunt.*

Additam.: In verbis compositis, quotiens homoeoarcton fiebat et praepositione et verbi simplicis primis litteris, poetae operam dederunt, ut *praepositio et verbi simplicis primae litterae invicem in arsibus* extarent.

2. *Posterioris hemistichii* arses poetae praetulerunt prioribus.

3. *Homoeoarcti usus sollemnis fuit in posterioris hemistichii prima et secunda arsibus.*

Ex his autem legibus lectio repetenda est versuum

3. — vicíssátim — vólvi víctóriam.
6. Postquám aves áspéxit — ín templo 'Anchísa.
16. Quibús sei in lónga lícui — sét tibe útier víta.
17. Prima íncédit Céreris — Prósérpiná puer.
21. Is híc sitús quei númquam — víctust vírtútei.
22. Itaqué postquam ést Orcíno — tráditus thénsaúro.
23. Quod ré suá difeídens — ásper[e] áfleícta,

ita ut, quoniam exempla 3. 21. 22. 23. accedunt, in XXIII. triplicibus et multiplicibus exemplis quarta et quinta arses deciens homoeoarcto distinctae sint.

§ 12. In *versibus scaenicis,* ut easdem leges coarguam atque in versibus saturniis, non eadem utar ratione. Quamvis hac ratione totus usus satis appareat. Nam longe maior copia homoeoarctorum in arsibus invenitur, quam in thesibus; ac si quidem aliquotiens singula bel bina verba in thesibus delitescunt, hoc factum est vel forma verborum vel compagine sententiae vel versuum structura. Porro in III. IV. V. (V. VI. VII.) arsibus *iambicorum senariorum octonariorum trochaicorumque septenariorum,* quos quidem primos tractabo, triplicis homoeoarcti plura exempla extant, quam in ceteris arsibus; ac si binarum arsium homoeoarcta contuleris, concedes poetas homoeoarcta, si quidem per formam verborum licuit, in III. IV. (V. VI.), IV. V. (VI. VII.), III. V. (V. VII.) arsibus conlocavisse. Sed nolim hanc longam viam inire. Verum varium in modum poetarum voluntatem studiumque in medium ducam.

Ac primum quidem poetarum scaenicorum usum *multiplicibus* exemplis inlustrabo.

Ecce illud *patheticum* ex inc. inc. tr. 73 sqq. Ribb. anima ab inferis cita in lucem ascendente:

'*Ad*sum atque *ad*venio '*A*cherunte víx via *a*lta atque *á*rdua
Pér speluncas sáxis structas ásperis pendéntibus [1])
Máxumis, ubi rígida *c*onstat *c*rássa *c*aligo ínferum.

---

1) hoc versu non homoeoarcton *s*peluncas *s*axis *s*tructas, sed homoeoteleuton *κ. διποδίαν as u* sub ictu consonante poeta captavit; atque onomato*poeiam impetravit sp nc* sxs str ct spr pndnt horridis litteris coacervatis.

[redacted]

Parodicum est Bacch. 933. R. Chrysalo belli Troiani fabulam ad se suasque res transferente:

O Tróia, o *p*atria, o *P*érgamum, o *P*ríame, *p*eriistí senex.

Παρῳδεῖται autem *querella* Andromachae, Andr. aechm. fr. IX. v. 81:

O *páter,* o *pat*ria, o *P*ríami domus (cum paregmeno).

Altiore sermone eduntur *oraculi responsa* ex inc. inc. tr. 14—16, quibus etiam vers. 10—13, quoniam homoeoarcto post caesuram non carent, adscribo:

Tum cóniecturam *p*óstulat *p*acém *p*etens,
Ut se édoceret óbsecrans Apóllinem,
Quo sése vortant tántae *s*ortes *s*ómnium.
Ibi éx oraclo vóce divina édidit:
Apóllo, *p*uerum, *pr*ímus *Pr*iamo quí foret
Postílla natus, *t*émperaret *t*óllere:
Eum ésse exitium Tróiae, *p*estem *P*érgamo.

Enn. tr. 41. Cassandra matrem *mulcendam* his appellat verbis:

*M*áter optumárum *mu*lto *mú*lier *me*lior *mú*lierum.

(cum parechesi et polyptoto).[1]

Κωμικῶς Aul. 91 sq. Goetz. avarus senex adumbratur, qui ne ignem quidem, ut vicino utendum det, ab animo impetrare possit; atque *qu* homoeoarcton aptissimum est ad senem sordidum lentum tenacem describendum:

Quod quíspiam ignem quaérat, extinguí volo,
Ne caúsae *qu*id sit, *qu*ód te *qu*isquam *qu*aéritet.

Habet autem suum locum homoeoarcton in *descriptione* vel formae corporis vel morum Plaut. Pseud. 659. R.; Ter. Hec. 440. U.; Afr. com. 61; Plaut. Mil. 546:

'Apud anum illam dóliarem, *c*lúdam, *cr*assam *Cr*úsidem.
Magnús rubicundus *cr*íspus *cr*assus *c*aésius.

---

1) Cognosce etiam mytacismi hoc exemplum Pacuvianum vv. 245. 46:
Mánibus isdem, quíbus Ulixi saépe permulsi, ábluam
Lássitudinémque *minuam mánuum m*óllitudine (c. parechesi).
De quo Ribbeck R. Tr. p. 338: ‚Von der Adlitteration macht [Pacuvius] ausgiebigen Gebrauch: die weiche Hand der Amme und die sanft spülende Welle des Fussbades werden durch dieses Mittel glücklich characterisirt'.

Vigiláns ac *s*ollers *s*ícca *s*ana *s*óbria.
Me fuísse ex*co*rdem *ca*écum in*co*gitábilem.

vel in *enumeratione* Trin. 1021. R.

*C*hírúchus fuit, *C*ěrconicus *C*rínus, *C*ricolabus *C*óllabus.[1])

Praeterea in *familiari sermone* Truc. 387 sq. Schoell:

Tu núnc *s*uperstes *s*ólus *s*ermoní meo's,
Tibi méa con*s*ilia *s*úmma *s*emper crédidi. (c. polypt. κ. κ.)

vel in *rebus amatoriis* Pseud. 65. 67; Poen. I, 2, 130:

Iocus lúdus *s*ermo *suávisaviá*tio. (c. parech. = Bacch. 116.)
Teneris labellis *mó*lles *mo*rsiúnculae.
Quíd ais tu? quando ápud me mecum *cá*put et *có*rpus *có*pulas?

Saepius autem *brevia commata inter se respondent* Mil. 650[2]):
Néque *prae*ripio *p*úlpamentum, néque *prae*vorto *p*óculum (c. epanaph.).

Nec desunt loci, quibus *insolitum* verbum homoeoarcti causa positum esse videtur, ut ap. Syr. com. 9. Ribb. *titulus* vocabulo pro signo adhibito:

Avis éxul hiemis, *t*ítulus *te*pidi *té*mporis.

In hoc vero Poen. I, 2, 145 nescio an a Plauto primum positum sit pugnis *pectere:*

Séd vide sis ne tu óratorem *p*úgnis *p*ectas *p*óstea.

Aliam primae meae legis adfirmandae rationem a *verbis compositis* petivi, quae, quoniam et praepositione et verbo simplici homoeoarcton facere possunt, in primis idonea sunt ad voluntatem poetarum detegendam. Nam *consilium, conservus, delirare (-amentum), invenire,* alia, prout aut praepositione aut verbo simplici homoeoarcton faciant, praepositionem aut verbum simplex sub ictu habent.

Ac primum quidem *consílium* in sigmatismo est Merc. 384. R.; Curc. 368. G.; Truc. 215, 387/8 Sch.:

Quíd illuc est quod ille á me *s*olus *s*é in con*s*ilium *s*évocat?
Póclum grande [et] aúla magna, ut *s*átis con*s*ilia *s*úppetant.

1) Truthus fuit, cerconicus, crinnus, cercobulus, collabu *BCD, nisi quod* truchus *CD.* Cheruchus *Salmasius.* Chiruchus *restituit Ritschelius.* Crinus *post Vallam Hermannus.* cricolabus *Ritschelius Prol. p. LXXXII parechesi* Cri*colabus Collabus capta.*

2) Cf. ib. 630: Cláre oculis videó, sum *p*ernix *m*ánibus *p*edibus *m*óbilis. Si v. 650 interpolatoris est, non inepti interpolatoris est; interpolatori *Ribbeckius et illum et finitimos* versus dedit.

Verum ápud hunc mea era *s*úa con*s*ilia *s*úmma eloquitur líbere.[1])
Tu núnc *s*uperstes *s*ólus *s*ermoní meo's,
Tibi méa con*s*ilia *s*úmma *s*emper crédidi.

Contra in litterae *c* homoeoarcto Mil. 226; Most. 1049; Epid. 256; Rud. 213/4; Enn. tr. 351:

Réperi *c*onminíscere *c*edo *c*álidum *c*onsiliúm *c*ito.
*C*ápio *c*onsilium, út senatum *cón*gerronum *cón*vocem.
Réperiamus áliquid *c*alidi *c*ónducibilis *c*ónsili.
Hác an illác eam, in*c*érta sum *c*ónsili;
Néc prope usquam híc quidem cúltum agrum cónspicor.
Ex incértis *c*ertos *cón*potesque *cón*sili.

consérvos in sigmatismo est Mil. 261:

Quí fuerit con*s*érvos, qui hodie *s*ít *s*ectatus *s*ímiam.

in litterae *c* homoearcto Mil. 198, 243, 467:

Quíd agam quem dolúm doloso *cón*tra *con*servúm parem.
'Arguam hanc vidísse apud te *cón*tra *con*servúm meum.
Út sublinitur ós *c*ustodi *c*aúto, *c*onservó meo.

Praeterea specta hos versus, quibus *delirare deliramentum delectamentum invenire* accentum invicem in prima vel in secunda syllaba habent. Amph. 585. 789; Capt. 597; Ter. Heaut. 952; Enn. 621; Capt. 568/9:

Séquere, erum qui síc ludificas *d*íctis *d*elirántibus.
Nam haéc quidem nos *d*élirantis fácere *d*ictis póstulat.
Iám de*l*iraménta *l*oquitur, *l*áruae stimulánt virum.
Quí sibi me pro *d*éridiculo ac *d*électamentó putat.
Úbi ego illum scelerósum, misera, atque *ín*pium *ín*veniam aút ubi quaeram.
Tu énim repertu's, Phílocratem qui súperes verivérbio. —
Pól, ego ut rem videó, tu in*v*entu's, *v*éra *v*anitúdine
Quí convincas.

Deinceps quod mihi de *bisyllabo verborum compositorum* homoeocarcto adnotandum erat, praepositionem et verbi simplicis primam syllabam invicem in arsibus locari, duplicibus adfirmatur his exemplis Aul. 93; Rud. 1194; Asin. 576; Trin. 323; Poen. III, 1, 34:

1) hoc versu etiam labdacismus eloquitur libere aures percutit.

Nam si ígnis vivet *éxt*inguere *ext*émpulo.
Aliquo íllud pacto *opt*íngit *opt*atúm piis.
Num mále relatast grátia, ut *conl*égam *conl*audávi.
Qui ípsus se contémnit, in eost *índ*oles *ind*ústriae.
Ést domi quod édimus, ne nos tám *cont*emptim *cónt*eras.

Tertio eadem praepositione composito verbo adsumpto Mil. 197; Enn. tr. 123:

Dúm ego mihi *cons*ília in animum *cón*voco et dum *cóns*ulo.
Pácem inter sesé *conc*iliant *cón*ferunt *conc*órdiam.

Manifestissimum autem est triplex illud ex Ter. Heaut. 209, quod Claudius Sacerd. p. 458, 28 in ‚parhomoeo' posuit:

Necéssest, Clitiphó, *cons*ília *cóns*equi *cons*ímilia.

Sed videas quid illud ‚*quantum potuerunt*' sibi velit. Poetis enim impedimento fuerunt *verborum forma, coniunctio, versuum compositio.*

Primum igitur specta *formam.* Quotiens verba aut ab initio iambica forma sunt: ⏑ – | . . . ut peculiaris, aut cretica in fine duabus brevibus syllabis unave longa praecedentibus: ⏔ | – ⏑ – ut sapientia, paenissume, primae eorum syllabae in arsibus iambicorum trochaicorumque versuum extare non possunt. Aul. 466; Caec. Stat. 266:

Qui ánui erat *pecúliaris* pérdidit *paeníssume.*
Saépe est etiam súb palliolo sórdido *sapiéntia.*

Verba autem, quae hac forma sunt, etiam *antecedentia* si trochaeum vel spondeum aequent, ita premunt, ut ne haec quidem in arsibus extare possint. Naev. com. 113; Bacch. 96:

Líbera *linguá loquemur* lúdis liberálibus.
Tú facito opsonátum nobis sít *opulentum opsónium.*

Nec pyrrhichia excepta sunt, si haec ⏑⏑ | – ⏑ – praecedant. Rud. 607: Vidétur ultro míhi *malum minitárier.*

Aliquantum etiam difficultatis attulit *versuum structura.* Atque ad *conciliationem accentus grammatici et metrici* pertinet, quod poetae caverunt, ne primas syllabas choriambicorum molossicorumque vocabulorum in arsibus locarent. Most. 352; Capt. 651/2; Mil. 650:

'Ita mali *maerórís* montem maxumum ad portúm modo.
— — Quíd *cessatis,* cónpedes,
Cúrrere ad me meáque amplecti crúra ut vos custódiam.
Néque praeripio púlpamentum néque *praevorto* póculum.

[redacted]

Ritschelius prol. ad Trin. p. CCVI sqq. hanc legem accuratius ita interpretatus est, ut constitueret, in elegantia illa non versari initium versuum et tertiam a fine arsim, verum medias arses ei esse subiectas. At haec regula non est sine exceptione. Ac primae meae legi argumento est, quod in duplici homoeoarcto aliquotiens primae illarum vocum syllabae in quintam arsim troch. sept. receptae sunt. Trin. 321; Amph. 841:

Bénefacta benefáctis aliis *pértegito* ne *pér*pluant.
Deúm metum et paréntum amorem et *cógnatum concór*diam.

Singulare vero impedimentum poetis obstitit in *fine* et in *initio* versuum et ante *caesuram*.

Ac primum quidem, quotiens versus iambicis vel pyrrhichicis vocabulis finiuntur, verbum antecedens, nisi creticum molossum choriambum aequat, primam syllabam sub ictu habere non potest. Bacch. 281; Pseud. 815:

Perii hércle lembus ílle mihi *laedít latus.*
Appónunt rumicem brássicam *betám blitum.*

In *initio* autem versuum *trochaicorum,* nisi prima vox trochaeum vel totam dipodiam aequat, verbum, quod secundum locum obtinet, in thesi delitescere oportet. Men. 918:

— Quin tú rogas,
Púrpureum panem án puniceum, sóleam ego esse, an lúteum.

Qua in re si secundum vocabulum trochaeum aequat vel iambum vel tribrachyn, non minus tertium vocabulum premitur. Capt. 322:

Mé *saturum servíre* apud te súmptu et vestitú tuo.

Rursus in *initio iambicorum* versuum, si prima vox tota in thesi locata est, de secunda tertia quarta voce idem est constituendum, quod de prima secunda tertia versuum trochaicorum; porro quotiens primum vocabulum iambum anapaestum spondeum dactylum aequat, secundum quoque, et nisi secundum aut monosyllabum est, aut bacchium molossum choriambum aequat, item tertium vocabulum in thesi iaceant necesse est. Acc. tr. 200; Most. 41:

Maiór mihi moles, máius miscendúmst malum.
Canés capro conmíxta. — Quid vis fíeri.

Nimirum ante *caesuram* legitimam poetae, ut eam paulo significantius distinguerent, ea verba adhibebant, quae longiora uno

trochaeo aut totam dipodiam aut amphibrachyn bacchium molossum choriambum exaequarent. Cum autem ditrochaica nihil valeant ad antecedentia, illa alia, qua vi fuerint, haec exempla docebunt. Asin. 362; Curc. 546; Naev. com. 113:

Nám me hodie *senéx seduxit* sólum sorsum ab aédibus.
Quós tu mihi *luscós libertos,* quós Summanos sómnias.
Líbera *linguá loquemur* lúdis liberálibus.

Usque ad tertium vocabulum pertinet illud Ennianum 257:

Séd *virum verá virtute* vívere animatum áddecet.

Sed nescio an transpositio Bothiana in hoc praeferenda sit:

Séd *vi*rum *vir*túte *v*era *v*ívere anímatum áddecet.

Nam parechesis *vir*um *vir*tute eo clarius enitet, quo propius vocabula inter se distant.

§ 13. Poetas scaenicos in homoeoarcto conlocando posteriores arses praetulisse prioribus maximeque primam et secundam post caesuram arses distinxisse ut demonstrem non solum multiplicibus homoeoarctis utar, verum etiam homoeoarcto cum parechesi paronomasia paregmeno polyptoto consociato; neque omittam duplicia homoeoarcta.

Ac *multiplicium* homoeoarctorum cum bina verba non solum ab eisdem primis *sed etiam ab eisdem secundis vel tertiis litteris* incipiuntur, haec verba, si quidem per formam eorum et per sententiae compagem licet, in arsibus post caesuram, sollemniter autem in III. IV. (V. VI.) ars. extant. Men. 252; Most. 31/2; Amph. 954 Ter. Hec. 440. ex inc. inc. tr. 14; Amph. 448, 782:

Non pótuit paucis *pl*úra *pl*ane próloqui.
Antehác est habitus párcus nec magis cóntinens,
Is núnc in aliam *pá*rtem *pa*lmam póssidet.
Mirúm quid solus *sé*cum *se*creto ílle agat.
Magnús rubicundus *cr*íspus *cr*assus caésius.
Apóllo puerum *pr*ímus *Pr*iamo quí foret.
Nóvi erum, novi aédis nostras, *sá*ne *sa*pio et séntio.
Aút pol haec praestrígiatrix *múl*to *mul*ier máxumast.

Si secundum vocabulum creticum est, hoc in fine ponitur, *altero, si trochaeum* aequat in IV. (VI.), si trochaeum superat in

III. (V.) pede conlocato. Truc. 374, 5; Pseud. 659; Poen. I, 2, 130; Lucil. XXVI, 39. M.; Epid. 256. ex inc. inc. fab. Pall. 34:

— Em istoc paúper es:
Plus póllicere quam ábs te *pos*co aut *pós*tulo.
'Apud anum illam dóliarem clúdam *cr*assam *Cr*úsidem.
Quíd ais tu? quando ápud me mecum cáput et *co*rpus *có*pulas?
Raúco sonitu cóntionem et cúrvis *co*gant *có*rnibus. [1]
Réperiamus áliquid calidi *cón*ducibilis *cón*sili.
Tum ád te ludibúnda docte et *dé*licate *dé*tulit.

Eandem autem rationem poetae persecuti sunt, cum duplici *parechesi* vel *paronomasiae* vel *paregmeno* vel *polyptoto* eiusdem litterae homoeoarcton adnectebant. Ac *parecheseos* aperta exempla sunt Enn. tr. 41; Bacch. 116 = Pseud. 65; Truc. 2:

Máter optumárum multo *múlier melior* múlierum.
Iocus Lúdus Sermo *Suávisaviá*tio.
De moéris magnis átque a*moenis moéni*bus.

Paronomasiae Mil. 330 [2]; Men. 615, 6:

Quín domi eccam: néscio quae te, *Scéledre scelera* súscitant.
Quíd negotist? — Pállam — Pallam — Quídam pallam — Quíd paves? —
Níl equidem paveó — nisi unum: *pálla pallorem* íncutit.

Latissime patet idem usus in paregmeno et polyptoto. *Paregmeni* quidem Trin. 1004; Aul. 314; Afr. com. 67; Adelph. 990; Acc. tr. 365:

Nunquam édepol temere *tín*nit *tin*tinnábulum.
Edepól mortalem *párc*e *parc*um praédicas.
Immo ólli mitem *fáx*o *fac*iant fústibus.
Quía non iusta iniústa prorsus *ómnia omni*no óbsequor.
Éxulare sínitis, sistis *pél*li, *pul*sum pátimini.

in VI. VII. ars. troch. sept. cum epanaphora κ. ἡμιστίχιον Mil. 228:

Mágnam illic homo rem íncipissit mágna *moenit moénia*.

Polyptoti Stich. 765; Pers. (386), 87; Stat. com. 39; Men. 404; Rud. (439), 40:

---

1) contionem sonitu *libri; non placet tribrachys ante caesuram* contionem *gravi vocabulo antecedente.*

2) Ribbeckius Ladevicum Philol. XVII, p. 257 secutus hunc versum a Plautino textu seposuit. v. p. 98.

Prostíbulist autem *stántem stanti* sávium | Dare.
(Quoiúsmodi hic cum fáma facile núbitur?)
Dum dós est, nullum *vítium vitio* vórtitur.
Cum súum sibi alius *sócius socium* saúciat.
Quási supellex péllionist *pálus palo* próxumust.
(Quór tu operam graváre, amabo, quam hóstis hosti cómmodat?)
Quór tu operam graváre mihi, quam *cívis civi* cómmodat?

Ex *duplicibus* homoeoarctis, praeterquam si omnia contuleris ac disposueris, secundae et tertiae legum argumentum non capiendum est, nisi ex continuatis. Nam non nisi in arsibus post caesuram per binos vel plures versus litteris scilicet variantibus poetae homoeoarcton continuaverunt. Qua in re quod unum vel alterum versum transiluerunt, nullius momenti est.

Adferam igitur eiusmodi nonnulla non diligentius conlecta, sed ut praesto erant apposita.

in *enumeratione* Aul. 167, 8:

'Istas magnas fáctiones, ánimos, *d*otes *d*ápsiles,
Clámores impéria, eburna véhicla, *p*allas *p*úrpuram
Níl moror.

cum *affectu,* cum de moribus cogitatur, Aul. 481—6; praefixa est vero epanaphora una quadruplex et altera duplex, quae orationem acriorem reddunt:

Et múlto fiat *c*ívitas con*c*órdior,
Et nós minore invídia utamur, quam útimur,
Et illaé malam rem métuant quam metuónt magis,
Et nós minore *s*úmptu *s*imus quám sumus.
In maxumam illuc *p*ópuli *p*artemst óptumum,
In paúciores *á*vidos *a*ltercátio est.[1])

Eunuch. 589, 90 in *fabula divina a Chaerea in sese translata;* in priore autem versu parechesis est:

1) homoeoarcton avidos altercatio quamqam vocali brevi et producta alternantibus parisosi nititur et versuum 485, 86 structura aequali et congruenti: ⏑ ⏑́ ⏑ – – | ⏑́ ⏑ – – – ⏑́ ⏑ –; ampliusque epanaphora arguit Plautum hos versus inter se respondentes fecisse, ita ut si homoeoarcton avidos altercatio respueris, etiam populi partem tibi reiciendum sit. Adsentiri non possum Frankeno, qui in ed. sua hos versus delevit.

Venísse clanculúm per pluvium *fúcum factum* múlieri.
At quém deum! qui témpla caeli *súmma* *s*onitu cóncutit.

in *rixis* Curc. 190—93:

Iam huíc voluptati hóc adiunctumst ódium. — Quid ais, própudium?
Túne etiam cum nóctuinis *ó*culis *o*dium mé vocas,
'Ebriola's persólla, nugae? — Tún meam *V*enerem *v*ítuperas?
Quíd? istum mihi pollúctus virgis *sé*r*v*os *ser*monêm *ser*at?

in *rebus amatoriis* ib. 210—14:

Fácito ut memineris: tene etiam príusquam hinc abeo sávium.
— Si équidem hercle mihi régnum detur, númquam id *p*otius *p*érsequar.[1])
Quándo ego te vidébo? — Em istoc *v*érbo *v*indictám para:
Sí amas, eme: ne rógites. facito ut *p*rétio *p*ervincás tuo.
Béne vale. — Iamne égo relinquor? *p*úlcre, *P*alinure, óccidi.

§ 14. Videte iam porro quomodo factum sit, ut poetae omnia homoeoarcti ornamenta in posteriores arses congererent. Pendet autem totus usus ex *maxima gravitate primae arseos post caesuram;* quam sequitur prima arsis ultimae dipodiae. Atque maior vis illius arseos ipsa in structura versuum iambicorum trochaicorumque posita est. Nam metrum succrescens ab initio usque ad caesuram versus summam consequitur in prima arsi post caesuram: inde, comparationem habens cum deiectu aquae, per duo intervalla, quae prima ultimae dipodiae arsi distinguuntur, in finem defluit. Cuius rei argumentum est usus poetarum *verbi, quod maiore impetu efferatur, in arsi post caesuram conlocandi.* Maxime vero hoc studium in lucem venit, quotiens idem verbum cum impetu pronunciationis per complures versus vel per totas scaenas repetitur. Ut Most. act. III. sc. 1; Trin. act. IV. sc. 3, 21 sqq.; Asin. act. V. sc. 2.

In Mostellaria autem l. l. danista iterum ac saepius faenus postulante ‚faenus' fere in tertia arsi iamb. sen. conlocatum est; nec minus gravissima alia verba in hac arsi extant:

580. R. Reddéturne igitur *faénus?* — Reddetúr tibi.
590. Moléstus si sum, *réddite* argentum: ábiero:
Respónsiones ómnis hoc verbo éripis.

---

1) potius persequar homoeoarcton per se non satis apertum sequentibus excitatur.

580. reddetur. nunc abi *libri.* reddetur tibi *Ritschl.*

592\. R. — Sortem áccipe. — Immo *faénus*, id primúm volo.
— Quid aís tu? tun hominum *ómmium* taetérrume,
594\. Venísti huc te extentátum? agas quod ín manust.
599\. Quin sórtem [iam redhi]bébit. — Quin [eam] nón peto:
Mihi faénus reddat, *faénus* actutúm mihi. —
Moléstus ne sis, *némo* dat: age quód lubet.
Tu sólus credo *faénore* argentúm datas.
— Cedo faénus, redde *faénus,* faenus réddite.
Datúrin' estis *faénus* actutúm mihi?
605\. Datúrne faenus? — *Faénus* illic, faénus hic:
Nescít quidem nisi *faénus* fabulárier. — —
611\. Pater éccam advenit péregre non multó prius
Illíus: is tibi *faénus* et sortém dabit.

In *quinta arsi troch. sept.:* Trin. act. IV. sc. 3, 21 sqq. Stasimus *veteribus* moribus laudatis novos mores vituperat recensetque mala facinora quae tum *more* fierent, more haberent licentiam.

1028\. R. Útinam veteres [véterum] mores, *véteres* parsimóniae
Pótius in maióre honore hic éssent, quam morés mali.
1030\. — Di ímmortales, básilica hic quidem fácinora inceptát loqui.
Vétera quaerit, vétera amare hunc *móre* maiorúm scias.
— Nám nunc homines níhili faciunt quód licet, nisi quód lubet.
'Ambitio iam móre sanctast, líberast a légibus.
Scúta iacere fúgereque hostis *móre* habent licentiam.
1035\. Pétere honorem pró flagitio *móre* fit. — Morem ínprobum.
— Strénuos nunc praéterire *móre* fit. — Nequám quidem.

Asin. act. V. sc. 2 Demaenetus in bibendo et osculando cum filii amica ab uxore valde irata deprehensus ‚surge amator' magna voce iterum iterumque repetito excitatur. Artemona etiam maiore ira incensa est, quod Demaenetus dixerat animam uxoris foetere, promiseratque se uxori pallam surrepturum esse. Nec solum *surge* sonorum vocabulum, *foetet, pallam,* verum etiam Artemona loquente *odium* gravissimaque alia verba in quintam arsim troch. sept. relata sunt.

593\. ais *et* tun *om. codd. Ritschelius add.* Quid áis tu? hominum *Lorenz. 600. Studem. ex A. 605.* Daturne faenus *Ritsch.*; Daturin faenus mihi *Studem. ex A.; Date* mihi faenus *BC.*

[redacted]

G. L. Quíd tibi hunc recéptio ad test meúm virum? — Pol mé quidem
Énecavit ódio miseram. — *Súrge* amator, í domum.
— Núllus sum. — Immo es, né nega, omnium [hóminum] pol nequíssumus.
'At etiam cubát cuculus: *súrge* amator, í domum.
— Vaé mihi. — Vera áriolare: *súrge* amator, í domum.
'Abscede ergo paúlulum istuc. — *Súrge* amator, í domum.
— Iam óbsecro uxor. — Núnc uxorem mé esse meministí tuam?
Módo, quom dicta in me íngerebas, *ódium*, non uxór eram.
— Tótus perii. — Quíd tandem? anima *foétetne* uxorís tuae?
— Múrram olet. — Iam súbrupuisti *pállam,* quam scortó dares?
— 'Ecastor qui súbrupturum *pállam* promisít tibi.
— Nón taces? — Ego díssuadebam, *máter*. — Bellum fílium.[1]
'Istocin patrem aéquomst mores *líberis* largírier?
Nílne te pudét? — Pol si aliud níl sit, tui me, uxór, pudet.
— Cáno capite té cuculum hinc *úxor* ex lustrís rapit.[2]
— Nón licet manére (cena cóquitur) dum ceném modo?
— 'Ecastor cenabis hodie, ut *dígnus* es, magnúm malum.
— Mále cubandumst: iúdicatum me *úxor* abducít domum.
— Dícebam, patér, tibi, ne *mátri* consulerés male.

Eodem exemplo aliqua ex parte septimae arseos vis cernitur, quae quintae fuerit proxima. Nam ut Artemonae maxime interest, ut Demaenetus e lectulo surgat abscedatque a Philenio, ita secundo loco agitur, ut amator abeat, atque domum eat: ecce *i domum* in clausula positum. Cf. etiam vv. 920, 922, 927, 931, 933, ubi in oppositione *me, nequissumus, uxor, filium, uxor* deinceps in septima arsi extant. 920. Pol *mé* quidem | 'Enecavit ódio miseram — non ego eum. 922. *nequissumus* es, non ‚nullus'. 927. modo, me absente, odium, nòn *uxor* eram. 931. inter se repondent ‚mater' et ‚bellum *filium*'. 933. — Pol si aliud níl sit, tui me *uxór* pudet.

1) Argurippum vocem *mater* distinctius pronunciavisse ex responso Artemonae efficitur.

2) *Artemona* respondet ad Demaeneti ‚tui me, uxor, pudet'.

Ac Trin. 1035, 36 Charmidis responsa in clausula posita sunt: Morem *inprobum, Nequám* quidem. Praeterea specta, quem chiasmum Plautus consecutus sit Most. 603: Cedo faénus, redde *faénus,* faenus *réddite.* [1])

Ex harum igitur arsium gravitate licet homoeoarcti, si non triplicis, at duplicis usum repetere. Cum enim poetae praecipue operam darent, ut tertiam (quintam), deinde, ut quintam (septimam) arsim homoeoarcto distinguerent, cumque studerent, ut vocabulorum, quibus homoeoarcton fieret, alterum ab altero, quantum fieri posset, proxime abesset, factum est, ut maxime tertia et quarta (quinta et sexta), paulo rarius quarta et quinta (sexta et septima) arses exornarentur, tertiumque locum habeant homoeoarcta, quae in tertia et quinta (quinta et septima) arsibus conlocata sunt. Qua in re conspice quantum forma verborum valuerit. Nam poetis, ut posteriorem partem iambicorum senariorum octonariorum trochaicorumque septenariorum | ⏖́ – ⏓ | ⏑́ – homoeoarcto distinguerent, adeo opus fuit formae verborum rationem habere, ut homoeoarcton in III. IV. (V. VI.) ars. conlocare non possent, nisi alterum vocabulum bisyllabum vel trisyllabum hac forma erat: ⏕ ⏑ / ⏖ – / – –, alterum bisyllabum vel trisyllabum vel hypertrisyllabum hac ⏕ ⏑ / ⏖ – / – – / – ⏖ | ⏓⏓ ⁝ ⏑ – . Quotiens autem IV. V. (VI. VII.) ars. operam dabant, vehementer studebant, ut, altero vocabulo bisyllabo vel trisyllabo eam quam conscripsi formam praebente, alterum creticum exaequaret. Nam a monosyllabis in fine poetas valde abhorrere video, atque homoeoarcti exempla, quae usque

1) Hinc apparet quam perperam Geppertus aliique secundas singularum dipodiarum arses sub ictu posuerint. Quod cum eo prohibetur, quod breves (ancipites) syllabas in fine iamb. senar. octon. troch. sept. vel ante caesuram iamb. sept. maiore accentu pronunciari ferri non potest, tum ne utiquam de tali descriptione cogitari potest: Trin. 1036, 37. Gepp.:

Scuta iacére fugereque hóstis more habént licentiám.
Petere honórem pro flagítio more fít. — Morem inprobúm.

Nam non quod omnino *fiunt* talia facinora, Stasimus aegre fert; ineptum quidem est et putidum ea, quae omnibus temporibus a quibusdam peccata sunt, neque umquam non peccabuntur, ut hostes fugere, verbose lamentari; sed quod pessima scelera tum *more* fiant, in dolore est. Accedit quod testimonia quibus Geppertus aliique nituntur ad iambicos senarios tantum pertinent.

ad ultimam arsim pertinent, perraro extant. Ut Curc. 74, quo versu argutiae vv. 72, 3 conficiuntur:

72. Me inférre Veneri vóvi ieientáculum.[1])
— Quid? ántepones Véneri te ientáculo?
Me, te átque hosce omnis. — Túm tu *V*enerem *v*ómere *v*is.

Nec monosyllaba in V. (VII.) arsi saepius extant. In arsibus denique III. V. (V. VII.) homoeoarcton conlocatur, si prius vocabulum totam dipodiam aequat, vel si utrumque creticum est. Quotiens vero vel necessitate numerorum vel forma verborum poetae coacti non utriusque vocabuli primam syllabam in arsibus conlocare potuerunt, tertiam et quintam (quintam et septimam) arses adeo praetulerunt ceteris, ut homoeoarcti in singulis arsibus et singulis thesibus exempla plurima inveniantur in tertia (quinta) arsi et quinta (sexta) thesi vocabulis has formas praestantibus, altero ⏕⏕⏑–, altero ⏑⏑⏑– ⁝ ⏑–. Paulo pauciora exempla reperiuntur in quarta (quinta) thesi et quinta (septima) arsi, cum vocabulum alterum amphibrachyn vel bacchium vel molossum vel choriambum, alterum creticum vel paeona quartum aequat. Tertium locum obtinent ea, quae in quarta (sexta) arsi et sexta (septima) thesi extant, cum alterum vocabulum vel molossum vel ionicum a minore vel a maiore vel choriambum aequat, alterum iambicum est vel pyrrhichium.

§ 15. Praestringam deinceps *ceteros versus scaenicos* et *versum heroicum*, in quibus poetae omnino eandem rationem secuti sunt atque in illis, de quibus adhuc quaestio fuit: quod singulae leges in quibusdam paulum mutantur, fluit ex illorum versuum compositione.

In *iambicis septenariis* arses posterioris hemistichii ceteris praestant. Rud. 354; Hec. 347:

Confráctast, mi Trachálio, hac *n*ócte *n*avis *n*óbis.
Hem istóc verbum animus míhi redit et *c*úra ex *c*orde ex*c*éssit.

Ter. Eun. act. III. sc. 5. his versibus finita est:

Eámus: et de istác simul, quo *p*ácto *p*orro *p*óssim
Potíri, consiliúm volo capere úna tecum. — Fíat.

Duplicium homoeoarctorum pleraque in quinta et sexta ars. extant;

---

1) iam ientaculum *libri;* ieientaculum *Ribbeck, S.-B. d. k. s. A. vol. 31, p. 100.*

quorum concentus conroboratur, si alterum vocabulum totam dipodiam aequat, Rud. 318; Asin. 649:

Tortís superciliís, contracta *fr*ónte, *fr*auduléntum.
Auscúltate atque operám date et mea *d*ícta *d*evoráte.

Fere totidem exempla in VI. VII. ars. invenies: pauciora in V. VI. Singulare impedimentum in his versibus poetis obstitit, cum in posteriore parte non locus esset creticis vocabulis: ad quae recipienda cum aptissimum esset prioris hemistichii secundum colon, factum est, ut iambicorum septenariorum tertia arsis paulo saepius homoeoarcto distingueretur, quam iambicorum senariorum, octonariorum, trochaicorum septenariorum quaevis arsis ante caesuram.

Iambicorum quaternariorum, qui et a Plauto raro neque a Terentio saepius adhibentur, exemplum sumpsi ex Ter. Eun. 215:

Quod *p*óteris, ab ea *p*éllito.

In versibus qui dicuntur *Reiziani* nulla nisi exilia exempla repperi, ut fere dubitem hoc proferre Aul. 430:

— Quid tú malum curas.
Utrúm crudumne an cóctum edim, nisi *tú* mi's *tu*tor.

Sed non omittam in eadem Aululariae scaena ‚*c*óquere hic *c*enam' bis in clausula positum esse 431, 35.

Trochaicorum octonariorum eidem alteri hemistichio poetae principatum dederunt. Argumento est multiplicis homoeoarcti exemplum Ennianum, v. 310. R.:

Látere pendens, *s*áxa *s*pargens tábo, *san*ie et *sán*guine atro.

Nam hic verba inter se similiora in VI. VII. ars. posita sunt. Idem vero duplicibus homoeoarctis confirmatur. Singulari gravitate est septima arsis, in qua gravia et longa et quae totam dipodiam aequent verba conlocari solent. Hec. 516, 17; Enn. tr. 219; Nov. com. 21 (hoc cum homoeocatal. κ. ἡμιστ.)

Périi, quid agam? quó me vortam? quíd viro meo réspondebo
Mísera? nam audivísse *v*ocem púeri *v*isust *v*ágientis.
Quaé Corinthum arcem áltam habetis, mátronae *op*ulentae, *óp*tumates.
Mélior cuius vox gállulascit cúius iam *r*amus *r*óborascit.

Trochaicorum dimetrorum acatalectorum, catalectorum, versuum compositorum ex duabus tripodiis trochaicis haec exempla pono *Curc. 114; Pseud. 591;* Pseud. 211; Epid. 74; Pseud. 1293:

Vínipollens *l*épidus *l*iber.
Quaé post diu mihi *cl*ára *cl*ueant. [1])
*D*únanim *d*omi habent máxumam.
*P*úppis *p*ereundást *p*robe.
Vír malus viro *ó*ptime *o*bviam it.

Ne in *anapaesticis* quidem versibus de studio poetarum homoeoarcta in arsibus conlocandi dubitare licet. Certe eiusmodi exemplorum copia in his impeditis numeris non est parva.

Anapaest. septenar. multipl. exempla Mil. 1029. 1048:

Tu *cón*tra *cu*ra et *cón*templa et de meís *ve*nator *vé*rbis.
Ab illá, quae *d*igitos *dé*spoliat suos ét tuos *d*igitos *dé*corat.

Duplicis homoeoarcti sollemnis usus est in V. VI. et VI. VII. arsibus.

Cum gravitate quadam incedunt ea quae in V. VI. sunt, si alterum vocabulum totum colon aequat. Pseud. 947; Bacch. 1171:

Lepidó victu, vino, únguentis, inter *pó*cula *p*ulpaméntis.
Ut istúc delictum désistas tanto *ó*pere ire *o*ppugnátum.

Choriambica et molossica vocabula ante caesuram legitimam in secunda dipodia conlocari solere vix opus est ut memorem. Atque in hac re anapaestici septenarii comparandi sunt cum iambicis septenariis, qui eodem loco cretica vocabula efferre solent. Cist. II, 1, 5; Mil. 1038:

Feror, *dí*fferor, *di*strahor, *dí*ripior: ita núbilam mentem animi hábeo.
Meum *có*gnomemtum *có*nmemorat di tíbi dent quaequomque óptes.

In *anapaesticis octonariis* homoeoarcti post caesuram usus eo magis est apertus, quo minus molossica et choriambica verba poetis impedimento fuerunt. Pseud. 575; Pers. 176:

Neque quód dubitem, neque quód timeam, in péctore *con*ditum *cón*siliumst.
Potin út taceas? potin né moneas? memini ét scio et *ca*lleo et *có*mmemini.

Anap. quaternarii Stich. 313; Enn. tr. 81 (hoc c. paregm.):

---

1) Quae post mihi clara et diu clueant *libri; transpositio a Ritschelio instituta homoeoarcto commendatur. Opinio Spengelii, qui et hunc versum et Curc. 114 anap. dim. esse putat Reformvorschl.* p. 286 et 288, *homoeoarcto reicitur.*

Unde ís? quid *fers*? quid *fés*tinas?
O *pát*er, o *pat*ria, o *Prí*ami domus.

Creticorum bacchiacorumque versuum et prima et secunda arses pedis cuiusque idonea sunt ad homoeoarcta recipienda; sed prima arsis maiorem vim praestat quam secunda.[1])

Cretici tettr. Epid. 320; Curc. 119; Most. 733:

*Éx*pectando *éx*edor míser atque *exén*teror.
Sálve. — Egon *s*álva *s*im, quaé *s*iti *s*ícca *s*um?
Quídum? — Ita hic *ó*ppido *o*ccídimus *o*mnés Simo.

Duplicis homoeoarcti pleraque exempla in III. et IV. pedum primis arsibus extant. Curc. 106; Enn. tr. 77:

Dá vicissím meó *g*útturi *g*aúdium.
'Arce et urbe órba sum. quo *á*ccedam? quo *á*pplicem?

In duobus versibus contiguis Rud. 213. 14:

Hác an illác eam, in*c*érta [sum] *c*ónsili:
Néc prope usquam híc quidem *c*últum agrum *c*ónspicor.

Minus saepe II. III. etiamque rarius I. II. arses homoeoarcto obtinentur.

Bacchiaci tettr. Merc. 360; Men. 754. 5, 967:

Nequícquam *ab*didi *ábs*condidi, *ábs*trusam habébam.
Gradúm *pro*ferám *pro*gredí[ri] *pro*perábo:
Sed íd quam mihí [non] sit *fá*cile haud sum *fá*lsus.
Pro*c*úrat, vidét, *co*nlocát *co*gitát[que].

Versus compositi ex creticis dimetris acatalectis cum trochaicis tripodiis catalectis saepius secundum creticum pedem et primam trochaicae tripodiae arsim homoeoarcto distincta efferunt. Most. 135. 337. 704; Bacch. 667:

Póstea quom *ín*migravi *ín*genium in meum.
'Illi ego ex *ó*mnibus *ó*ptume volo.
'Eum hominem *só*llicitat *só*por: ibi omnibus.
Sét quem quaero, *ó*ptume ecce *ó*bviam mihist.

---

1) Hinc manat eorum versuum descriptio ´⏑– et ⏑´–; reicienda est illa alia a quibusdam probata –⏑´ et ⏑–´; Geppertus vero creticos versus *in secunda* –⏑´ bacchiacos in prima arsi ⏑´– ictu percuti vult. cf. Trin. *ed. Gepp. act. II, sc. 1, 1 sqq.*

[redacted]

Versus heroici, qua sunt firmiore structura, ad homoeoarcta arsibus recipienda impeditiores sunt. Nam quod abhorrent ab arsibus dissolvendis, verba quae a brevi syllaba incipiunt, a iambo ◡ – | .. ut minax, ferox, vel ab anapaesto ◡◡ – | .. ut minitatur, nec minus ea quae antibacchia forma sunt – – ◡ ut adgnovit[1]), Cassandra, primas syllabas in arsibus habere non possunt. Diom. p. 447, 3. K. parhomoei ex. Acc. ann. Prisc. p. 254, 11. H.; Verg. Aen. III, 82. 183 (hoc a Claud. Sacerd. p. 458, 29 laudato):

> *M*áchina *m*ulta *m*inax *m*initatúr *m*axima *m*uris.[2])
> *F*ráxinus *f*issa *f*erox in*f*ensa in*f*inditur ossis.
> ʹOccurrit, veterem *A*nchisen *a*dgnovit *a*micum.
> Sóla mihi talis *ca*sus *Ca*ssandra *ca*nebat.

Deinceps impedimento fuerunt caesurae legitimae semiquinaria et semiseptenaria. Nam cum verbi alicuius ultimam syllabam postulent, bisyllaborum trisyllaborum vocabulorum, quae iambum, anapaestum, spondeum aequent, in thesim subigunt reguntque etiam verba antecedentia et sequentia. Verg. Aen. II, 199. R.; Cat. LXIV, 101. M.:

> Híc aliud *m*aius *m*iseris *m*ultoque tremendum.
> Cúm saevom *c*upiens *con*tra· *con*tendere monstrum.

Adiuvit vero studium poetarum caesura bucolica. Et quamquam initium versuum ad homoeoarcta recipienda non minus fuit idoneum, tamen arses, quae caesurae bucolicae proximae sunt, quartam, quintam, sextam, poetae prae ceteris homoeoarcto insignes reddiderunt. Adiungam igitur exempla eiusmodi nonnulla.

In IV. V. VI. ars. Lucr. III, 794; IV, 394. 874; V, 454. L.; Verg. Aen. 833:

> Quód quoniam nostro quoque *c*onstat *c*orpore *c*ertum.
> Cúm permensa suo sunt *c*aelum *c*orpore *c*laro.
> ʹUrere ne possit color *a*mplius *a*ridus *a*rtus.
> Lúnamque efficerent et *m*agni *m*oenia *m*undi.
> Neú patriae *v*alidas in *v*iscera *v*ertite *v*ires.

In V. VI. ars. Enn. ann. 66. 402. 548. V.; trag. 251. R.; Lucr. V, 432. 441. 439. 446. 453; Lucil. VIII, 1. M.; Catull. LXIV, 320. 351. M.; Verg. Aen. VI, 20; VII, 8; VIII, 224:

---

1) vocali scilicet sequente.

2) *minatur libri*; minitatur em. Naeke, M. Rh. 1829, p. 322.

Únus erit quem tu tolles in caerula caeli | Témpla.
Quós ubi rex populos spexit de cautibus celsis.
'Inde patefecit radiis rota candida caelum.
Lúmine sic tremulo terra et cava caerula candent.
Híc neque tum solis rota cerni lumine largo.
'Intervalla vias conexus pondere plagas.
Mémbraque dividere et magnas disponere partes.
Hóc est a terris altum secernere caelum.
Tám magis expressere ea quae mare sidera solem.
⏑́ ⏑ ⏑ quod gracilast, pernix, quod pectore, puro.
Haéc tum clarisona pectentes vellera voce.
Pútridaque infirmis variabunt pectora palmis.
'In foribus letum Androgeo, tum pendere poenas.
'Adspirant aurae in noctem nec candida cursus | Lúna negat.
Spéluncamque petit (pedibus timor addidit alas).

In IV. V. ars. Enn. ann. 50. 235; Lucr. IV, 789; V, 1193; Cat. LXIV, 24. 40. 92. 194:

Quámquam multa manus ad caeli caerula templa.
Póste recumbite vestraque pectora pellite tonsis.
Cérnimus in somnis et mollia membra movere.
'Et rapídi fremitus et murmura magna minarum.
Vós ego saepe meo, vos carmine conpellabo.
Nón glabeam prono convellit vomere taurus.
Lúmina, quam cuncto concepit corpore flammam.
Fróns expirantis praeportat pectoris iras.

Versus pentametri homoeoarcton nimirum in IV. V. ars. habent. Cat. LXVI, 78. 80; Tib. I, 4, 12:

Únguenti Surici milia multa bibi.
Nón prius unanimis corpora coniugibus.
Híc placidam niveo pectore pellit aquam.

Homoeoarcti usum, qui in posteriore parte versuum cernitur, omnem consecutus sum. In priore hemistichio sollemnis usus non extat nisi hic: cum versus aliquis homoeoarcto finitur, homoeoarcton illud saepius in initio sequentis versus continuatur. Enn. tr. 41. 42; Capt. 569. 70; Ter. Ph. 867. 68; Pseud. 180. 81; Rud. 685. 86; *Amph. 203. 4; Ter.* Heaut. 239. 40; Turp. com. 48. 49:

[redacted]

Máter optumárum multo múlier melior *mú*lierum
*M*íssa sum supérstitiosis áriolatiónibus.
Pól ego ut rem videó, tu inventu's, *v*éra *v*anitúdine
Quí con*v*incas.
Súspenso gradú placide ire pérrexi, *a*ccessi, *á*stiti,
'*A*nimam compressi, aúrem admovi: ita ánimum coepi atténdere.
Quíbus vitae estis, quíbus deliciae, sávia mammillaé mellitae:
*M*ánipulatim *m*únerigeruli fácite ante aedis iám mi hic adsint.[1])
Sed múliebri animo súm tamen: [quom] *m*íserae venit in *m*éntem
Mihi *m*órtis, *me*tus *me*mbra óccupat. —
Princípio ut illo advénimus, ubi prímum *te*rram *té*tigimus,
Contínuo Amphitruo délegit virós primorum príncipes.
Non cógitas hinc lóngule esse? et nósti *m*ores *m*úlierum:
Dum *m*óliuntur, dúm conantur, ánnus est. —
Neque naútae cum essent círcumventi véntis, *in*certo *í*tinere
Porti *ín*digentes. —

§ 16. Reliquum est, ut nonnullas controversias attingam, quae de homoeoarcti *forma* sunt, h. e. de litteris et de verbis, quibus illa figura fiat.

Ac de *syllabarum quantitate* sunt qui statuant, homoeoarcton a vice brevium syllabarum et longarum non minus abhorrere quam homoeocatalecton. Sed multis exemplis confirmatur poetas non curasse, ut syllabae productae tantum cum productis, conreptae tantum cum conreptis homoeoarcton facerent. Nisi quis casui dat haec multiplicia, quae in affectu, *παρῳδικῶς*, *κωμικῶς* posita sunt. Enn. tr. 193; Acc. tr. 434; Turp. com. 114; Amph. 325. 26:

Ménelaus me obiúrgat? id meis *ré*bus *rĕ*gimen *ré*stitat.
Parátus sum ubivis *pé*tere *pē*stem pérmiti.
Maris *s*cópuli *sŏ*nitus *sŏ*litudo, sánctitudo Apóllinis.
Vóx mi ad auris ádvolavit. — Né ego homo infelíx fui,
Quí non alas íntervelli: *vŏ*lucrem *vŏ*cem géstito.

Neque *ă ā* homoeoarcta poetae respuerunt; Asin. 347, qui versus pro totius scaenae argumento est, Phorm. 706:

---

1) *in libris* estis *post* deliciae *constat*, quibus *ante* savia *repetitum est.* mihi *est post* manipulatim; *versus Ritschelius* restituit; anapaestos posuit *Studem. de cant. Plaut. p.* 56.

'*A*it se ob ӑsinos [*á*d]ferre *a*rgentum *ӑ*triensi Saúreae.
Intro íit in aedis *ā*ter, ӑlienús canis.

Deinceps quaeritur, num consonantium homoeoarcta probanda sint, ubi *promiscue aut vocalis aut consonans sequitur primam consonantem.*[1]) Quod supra p. 37 formulis Woelfflinianis aliqua ex parte demonstravi: nunc quidem hunc veterum poetarum usum amplius explanabo triplicibus eis exemplis, quae nemo forte facta esse putet, Enn. tr. 213. 353; Acc. tr. 22; Most. 536; Capt. 722:

Úmidas unde óritur imber sónitu s*ae*vo et s*p*íritu.
Dimítto, ut ne res t*é*mere t*r*actent t*ú*rbidas.
Cui mánus materno sórdet s*p*arsa s*á*nguine.
Nunc pól ego perii p*l*áne in perpetuúm modum.
Ubi pónderosas, c*r*ássas c*a*piat c*ó*npedis.

Id autem, quod in triplicibus licuit, in duplicibus non licuisse, non intellego, quo iure statuat aliquis. Quam ob rem eius modi homoeoarcta, si quidem in arsibus post caesuram conlocata sunt, praesertim in eis scaenis, quae omnino similibus et continuis homoeoarctis abundent, ex voluntate poetae esse putanda sunt. Nam in his scaenis similium aperta exempla etiam ea in lucem protrahunt, quae minus sunt probabilia. Talis scaena est Curc. act. I, 3; quae, quoniam et homoeocatalecta et paregmena praebet, et homoeoarctis scatet, et ad illum usum inlustrandum valet eademque idonea est, quae mutarum consonantium homoeoarcta, cum secundo loco *l* ét *r* liquidae litterae inter se mutantur, coarguat. In rebus autem amatoriis versans scaena non modo homoeocatalecti κ. μέρος λόγου exemplum habet v. 199:

Béne monstrantem púgnis caedis, hánc am*as* nug*ás* mer*as*.

verum etiam κ. κῶλα, 189. 90; 191. 92 (haec c. homoeoarcto post caesuram):

'Etiam dispertímini? — Nulli hóminist perpetuóm bon*um*:
Iam huíc voluptati hóc adiunctumst ódium. — Quid ais, própudi*um*?
Túne etiam cum nóctuinis *ó*culis *o*dium mé voc*as*,
'Ebriola's persólla, nugae. — Tún meam *V*enerem *ví*tuper*as*?

1) Nam de consonantium homoeoarctis, quae secundo loco vocales mutant ut Enn. tr. 266:

Saéviter suspícionem f*é*rre f*a*lsam f*ú*ttilumst.

nemo, opinor, dubitabit.

Nec desunt duplicis paregmeni exempla in arsibus post caesuram 176. 182. 209:

Nám bonumst pausíllum amare *sáne*, in*sane* nón bonumst.
Nam hóc quidem edepol haúd multo post *lúce luce*bít. — Tace.
'In domo esse istác, quin ego te *líber*alem *líber*em.

Atque manifestis exemplis (191. 92 v. supra) 162. 163. 164. 169. 193. 202. 205. 211. 214:

Úbi tu's qui me cón*v*adatu's *V*éneriis *v*adimóniis?
Sísto ego tibi me et míhi contra itidem tú te ut *s*istas *s*uádeo.
'Adsum: nam si absim, haúd recusem quín *m*ihi *m*ale sit *m*él *m*eum.
Mále vales, ere, quód mihi aegrest. — *M*ále *m*i *m*origerú's: tace.
Quíd? istum mihi pollúctus virgis *sér*vos *ser*moném *ser*at?
Cédo mihi contra aúrichalco, quoí ego *s*ano *s*érviam.
'Inter nos amóre utemur *s*émper *s*ubreptício?
Si équidem hercle mihi régnum detur, númquam id *p*otius *p*érsequar.
Béne vale. — Iamne égo relinquor? *p*úlcre, *P*alinure, óccidi,

— admixta sunt haec, quae nostra sunt specie, 158. 203. 213:

Plácide egredere et sónitum prohibe fórium et *c*repitum *c*árdinum.
Béne vale, ocule mí: nam sonitum et *c*répitum *c*laustrorum aúdio.
Sí amas, eme: ne rógites. facito ut *p*rétio *p*ervincás tuo.

Incertum vero est, utrum *a ae au* homoeoarcta ex voluntate poetarum sint necne. Naekius quidem et Lochius talia protulerunt. Nec Lorenzius dubitavit *a au* homoeoarcta proferre: tria quidem *a* homoeoarcti exempla, quae in praef. ad Pseud. p. 37 posuit Pseud. 224. 231. 318. L. (230. 237. 330. R.) omnia versantur in *a* et *au*:

Pseudóle, non audis, quae híc loquitur? — *Au*dío, ere, atque *a*nimum *a*dvórto.
In rém quod sit, praevórtaris, quam re *á*dvorsa *a*nimo *au*scúltes.
Própera. quid stas? í *a*ccerse *a*gnos: *aú*din quid *a*it Iúppiter?

Idemque alio loco, Philol. Anz. 1877, p. 292, *a ae* homoeoarcta reiecit[1]; atque fatendum est *a ae* homoeoarcta minus probabilitatis

1) De Mil. 12 *ae*quiperare *a*d homoeoarcto, quod Klotz p. 2 adfert, alia de causa ne utiquam cogitari potest, cf. p. 38. Lorenzius autem hoc in 'adlitteratione variarum vocalium' habet, quam respuit.

habere, quam *a au*. Woelfflinius utriusque rationis has formulas notavit: agere audere, alacer audax, alere augere, amplificanda augenda, auctor adiutor, anni aetas. Quid? quod ne ab *au o* Plautino quidem homoeoarcto abhorret p. 21 *o*men *au*spicium, *o*culis *au*ribus, *au*rum huic *o*let.[1] — Equidem cum *a au* homoeoarcta ex voluntate poetarum esse pro certo habeo, tum de *a ae* homoeoarctis dubito. Sed utriusque rationis exempla ita pono, ut neque credam ea pro firmo ac praeclaro argumento esse, neque postulem, ut ommia comprobes.

Complures *a* singulis *au* admixtis: Amph. 1131. quo versu totius fabulae ultima incipit scaena, in qua Iuppiter summus deus prodit et Herculis fata praesagit (παθητικῶς):

Bono *á*nimo es: *a*dsum ego *aú*xilio *A*mphitruó tibi.

In opposito cum affectu Stich. 128. 29:

'Ita mi auctores súnt amici, ut vós hinc abducám domum.
— 'At enim nos, quarúm res *a*gitur, *á*liter *au*ctorés sumus.

Praeterea cognosce ea quae Lorenzius laudavit Pseud. 230. 237. 330. R.

Complures *au* singulis *a* insertis Tit. com. 151; Acc. tr. 281:

Id ego *aú*cupavi, plénas *au*ris *á*dfero.
Simul *aú*rem *a*ttendo, ut quírem ex*au*dire *á*mplius.

a ae: Stich. 406; Amph. 978. 79; Phorm. 706:

Olím quos *a*biens *á*dfeci *ae*grimónia.
Fac '*A*mphitruonem iam *á*dvenientem ab *aé*dibus | Ut *á*bigas.
Intro íit in *ae*dis *á*ter *a*lienús canis.

a au ae: Bacch. 900. ex inc. inc. tr. 180; Ad. 453. 54:

Illa *aú*tem in *a*rcem hinc *á*biit *ae*dem vísere.
Quid *aú*tem *a*ccuses, qui íd parvi *au*ditum *aé*stimet?
Utinam híc prope *a*d[si]t *á*licubi atque haec *aú*di[a]t.
— Nisi fácient quae illos *aé*quomst, h*au*d sic *aú*ferent.

ubi *haud* quod in opposito et sub ictu est consonat.

Sunt etiam *ae au* homoeoarcta quae comica vi non careant, Aul. 82. ubi Staphyla ab Euclione ut ‚intus servet' iussa:

Ego íntus servem? an né quis *ae*dis *aú*ferat?

1) Etiam alias formulas eodem loco posuit, quae cum aliquid in se *habeant* parecheseos, probabiliora sunt: aurum orichalcum, aurum ornamen*tum, aurata ornata*.

[redacted]

De *variis vocalibus* cf. puod Maehlyus p. 229 ad ex. inc. inc. tr. 76:

Únde animae excitántur obscura úmbra operto ex óstio.

‚Die Wörter des . . Verses beginnen mit lauter Vokalen, was kaum zufällig ist, da im Altdeutschen dergleichen für wirkliche und vollgültige Alliteration betrachtet wird.' Atque etiam Bartschius in variis vocalibus adlitterationem putat. Sed etsi fatendum est crebra spiritus lenis repetitione — in qua eiusmodi homoeoarcta continentur — versui alicui singularia inferri signa: num eum usum poetae cum voluntate studioque consecuti sint, dubito. Plane reicio duplicia eiusmodi ut Naev. 7. 31, Liv. ap. Fest. p. 352. a Bartschio laudata p. 29:

– ⏑́ *a*mbórum *u*xóres.
Dein pólléns sagíttis — *í*nclutús *a*rquítenens.
⏑ ⏑́ toppér confríngent — *í*nportúnae *ú*ndae.

Aspiratarum cum tenuibus *c ch*, *p ph*, *t th* homoeoarcti usum veteres Romanorum poetas et qui ante urbis saec. VII. fuerunt, in primis autem Plautum habuisse nemo negabit, quoniam certe constat, aspiratas eos non adhibuisse. Ritschl. P. L. M. E. p. 124: ‚Aspiratio consonantium: nulla ante a. 650—660, fluctuans ad a. circiter 700, fere constans ab initio saec. VIII.' cf. ad tab. XI, p. 16, ad LXIII, LXIV, p. 55. 56 saepius; praeterea opusc. IV, p. 89 sq., 147 sq., 585 sq!.; Brambach, Orth. p. 287.

Inlustretur igitur hic usus paucis exemplis.

c ch Merc. 646 in enumeratione:

Mégares, Eretriám, *C*orinthum, *C*ălcidem, *C*retám, *C*yprum.

p ph Most. 897 καθ' ὑπερβολήν; Mil. 437; Bacch. 879:

Quín ego ipse et *P*ilolaches in *p*úplico omnis *p*órticus
Súmus conmensi. —
Fálsum nomen *p*óssidere, *P*ilocomasium, *p*óstulas.
Quid fít? — Ducentis *P*ilippis[1] *p*epigi. — Váh, salus,
Me sérvavisti.

t th Asin. 276. 77. κωμικῶς idque in continuo homoeoarcto (cf. 278—80):

'Etiam de tergó ducentas *p*lágas *p*raegnatís dabo.
⏑— Lárgitur pecúlium: omnem in *t*érgo *t*ensaurúm gerit.

1) ‚rem' post ‚Philippis' Ritschelius delevit.

Praeterea *c qu* homoeoarcta, quae natura est litterae QV exortae ex K = C adnexa V[1]) (Corssen A. V. B. d. l. S. I, p. 38, iterum Krit. Beitr. p. 48 sq.), in numero eorum habeo, quae inter consonantes fiunt, mutatis secundis litteris. Ergo comprobo eiusmodi homoeoarcta, si verba quae a *c* incipiunt secundo loco vocalem habent. Merc. 857; Aul. 91. 92:

*C*ógito, quonam égo illum *c*urram *qu*aéritatum. — Cérta rest.
Quod quíspiam ignem quaérat, extinguí volo,
Ne caúsae *qu*id sit *qu*ód te *qu*isquam *qu*aéritet.

Duplicibus ut adplaudas non postulo, etiamsi sunt, quae voluntatem poetae redoleant, Merc. 868. homoeoarcto post caesuram continuato.

867. Stá, Charine. — Quís me revocat? — *S*pés, *S*alus, Victória.
— Quíd me voltis? — 'Ire tecum. — 'Alium *c*omitem *qu*aérite.
Nón amittunt hís me comites quí tenent. — Qui súnt ei?
— Cúra, Miseria, Aégritudo, *L*ácrumae, *L*amentátio.
— Répudia istos cómites atque *ré*spice et *re*vórtere.

Cf. etiam Rud. 294 form. Woelfflinian. et Catull. LXII, 36. 37:

Hisce hámi atque haec harúndines sunt nobis *qu*aestu et *c*últu.
'At libet innuptis ficto te *c*arpere *qu*estu.
Quíd tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?

Videamus porro, num verba quibus homoeoarcton fit *ad unam sententiam pertinere* opus sit.

Constat sane verba ad *eiusdem sententiae partes diversas* pertinere posse. Ut in parisosi Epid. 49. in colis coordinatis Eunuch. 727; Most. 352. 53:

Utcúnque in alto *vé*ntust, Epidice, éxin *ve*lum *vó*rtitur.
Attát, data hercle *vé*rba mihi sunt: *ví*cit *vi*num quód bibi.
'Ita mali maeróris montem máxumum ad portúm modo
Cónspicatus sum. érus advenit *pé*regre: *pe*riit Tránio.

Plautus vero *mutatis personis* homoeoarcta usitatiora fecit. Duas autem rationes persecutus est. Aut in utraque sententiae

1) Auctore Grassmanno Z. f. vergl. Sp. IX, p. 11 sqq. *Q V sanscriticam K V aequat; utut* ea sunt, gutturalis pars quae V praecedit certe *C* exaequat cf. *Brambach*, Orth. p. 221; Ritschl, op. IV, p. 492, Adn. et p. 687.

eiusdem litterae homoeoarcton constat uno verbo iterato: Pseud. 1199; Most. 1116 (hoc c. paronomasia κ. διάνοιαν); Amph. 312:

Hárpax. — Is quidem *é*depol Harpax *é*go sum. — Immo *é*depol *é*sse vis.
'*E*xempla *e*depol fáciam ego in te. — Pláceo: eo *ex*emplum *éx*petis.
Haú malum huic est *p*óndus *p*ugno. — *P*érii, *p*ugnos *p*ónderat.

Aut altera persona ad prioris unum verbum adludit: scilicet verba alterum prope a fine, alterum prope ab initio sententiarum posita sunt. Amph. 395; Mil. 49:

Pácem feci foédus feci, *v*éra dico. — *V*ápula.
Edepól memoria's *ó*ptuma. — *O*ffae [mé] monent.[1]

Liquido vero hic usus confirmatur duabus scaenis hisce Mil. III, 3 et Pseud. I, 3. Atque in Milite Acroteleution responsa ad Preriplecomenis et Parmenonis interrogata ita adcommodat, ut homoeoarcton fiat. Appono manifestiora 913. 914. (923.) 924:

Quem dárem ego porro míliti tuis *vér*bis. — *Ver*a dícis.
Quid istís nunc memoratís opust, quae cónme*m*inere? — *M*éliust.
Populi ódium quidni nóverim, magnídicum, cincinnátum,
Moechum únguentatum? — *N*úm ille te *n*am *n*óvit? — *N*unquam vídit.

In Pseuduli vero tricinio illo famoso Caludoro Pseuduloque in maledictis Ballioni ingerendis alternantibus hic quidem, qua est cynica aequanimitate, scurrilem in modum ad illorum maledicta adludit: semel v. 365 maledicta inter se et interiectiones inter se homoeoarcton faciunt; in v. 360 chiasmus quidam cernitur.

360. '*I*mpudice. — *It*ást. — Sceleste. — Dícis *ve*ra. — *Vér*bero.
— Quíppini? — Bustírape. — Certo. — *F*úrci*f*er. — *F*actum óptime.
— Sóciofraude. — *S*únt mea istaec. — *P*árricida. — *P*érge tu.
— Sácrilege. — Fateór. — Periure. — *V*étera *v*aticinámini.
— Légirupa. — Validé. — Pernicies *á*dulescentum. — *A*cérrume.

1) Offae monent *libri cum A. Veteris conrector* me monent recte emendasse *mihi videtur: nam ne utiquam ferri* potest offae in thesi delitescere. *Ribbeckium secutus sum qui* Offae me monent in ed. sua probavit.

— *F*úr. — *B*abae. — *F*ugitíve. — *B*ombax. — *F*raús *p*opli. — *Pla*níssume.
— Fraúdulente. — Inpúre leno. — *Caé*num. — *Can*torés probos.

Restat ut memorem de *verbis compositis ex duobus, quae inter se homoeoarcton faciunt.* Quorum de forma — nam res ipsa inde a Naekio notissima est[1]) — observatum habeo, Plautum operam dedisse, ut primae eorum syllabae in arsibus extare possent. Hoc enim illorum, quae in trochaicis iambicisve versibus inveniuntur, schema est: – ⏑ | ⏖ ⏓ ⁝ ··· Sunt autem:

collicrepidae, cruricrepidae, quae Trin. 1022 in pariso[2]) inveniuntur:

1021. Chíruchus fuit, Cérconicus, Crínus, Cricolabus, Cóllabus,
Cóllicrepidae[3]), *cr*úri-*cr*epidae, férriteri, mastígiae.

veriverbium Capt. 568. 69 (a Naekio laudat. M. R. 1829, p. 378):

Tu énim repertu's, Phílocratem qui súperes *ve*ri-*vé*rbio.
— Pól ego ut rem videó tu inventu's véra vanitúdine.

verbivelitatio Asin. 307:

*Vé*rbi-*ve*litátionem[4]) fíeri conpendí volo.

frigefactare Poen. III, 5, 15; Rud. 1326:

Quid iám? — Quia os nunc *f*ríge-*f*actas cúm rogas.
Dabo séptingentos. — 'Os calet tibi: núnc id *f*rige-*f*áctas.[5])

parcepromus[6]) Truc. 184:

Sed istós, qui cum geniís suis bellígerant *p*arçe-*p*rómi.

Nescio an *plagipatidas*[6]) ex usu quotidiano Plautus sumpserit: nam cum illa alia praeter verbivelitationem omnia in arsibus post caesuram posita sint — verbivelitatio autem a longitudine excusationem habet — hoc in priore hemistichio locatum est Capt. 472; Most. 356:

*P*lági-*p*atidas, quíbus sunt verba síne penu et pecúnia.
'Ubi sunt isti *p*lági-*p*atidae, férritribacés viri.

1) cf. quod adnotavit ad crurierepidae Mus. Rh. 1829, p. 344.
2) sc. sensu Hermogeneo.
3) Oculi crepide *BC. Bekkerus rest.*
4) Verbis velitationem *libri. Meursius rest.*
5) *frigidefactas libri. Fleckeis. rest.*
6) *Naeke p. 365.*

Praeterea huc spectat militis in Pseudulo nomen *Polumachaeroplagides* h. e. qui multis machaerae plagis mulcat, 988 sq.:

'Accipe et cognósce signum. — Eho *P*ólumachaero-*p*lágides
Púrus putus est ípsus: novi heus, *P*ólumachaero-*p*lágides.

Aliquotiens talia composita etiam parechesin faciunt, ut *Suavisaviatio* Bacch. 116 = Pseud. 68:

Iocus Lúdus Sermo *Suávi-savi*átio.[1])

incurvicervicus Pac. tr. 408:

Nérei repandiróstrum in*cúrvi-cervi*cúm pecus.

II. De homoeocatalecto[2]) κατὰ μέρος λόγου.

§ 17. Quoniam in disputatione de homoeoarcto demonstravi, tantum abesse, ut veteres Romanorum poetae in conlocatione illius figurae casum potius quam consilium secuti sint, ut certae rationi oboediverint, nunc quidem ad ceterarum figurarum usum inlustrandum argumenta cumulare non aeque opus est, sed pauca, si quidem probabilia sunt, exempla sufficient, ut quae constituero comprobes.

De *forma* homoeocatalecti — nam omitto homoeoptoti rationem alteram, quae cernitur in similitudine casus nominum *non* in easdem syllabas desinentium v. p. 17 — monendum est, ne syllabam productam cum conrepta homoeoteleuton facere credas.[3]) Ceterum

---

1) suavis saviatio *libri; Hermannus rest.*

2) De homoeoteleuto memoraverunt *Casaubonus* ad Pers. I, 93; Burmannus, Anthol. Lat. T. II, p. 250; L. Santenius in Ter. M. p. 202 et 215. Inter recentiores Naekius Mus. Rh. III (1829), p. 331 ext. 388—400; Lochius ‚De usu allitt. ap. poetas Lat.' p. 8, homoeoteleuton adlitterationis partem esse statuerunt. Praeterea cf. L. Mueller, De re metr., p. 456; Ribbeck, Röm. Tragödie, p. 215, adn. 298, pp. 338, 644; Lorenz, praef. ad Pseud. p. 39 sq.; Brix ad Mil. 718. De eiusdem figurae in versu hexametro et pentametro usu fusius disseruit G. Grimmius, ‚Zur Gesch. des Reims', Abh. d. Berl. Akad. 1851, p. 627 sqq.

3) Quod Grimmius non ratus homoeoteleuti exempla Lucretiana laudavit haec II, 533. 385; V, 903. 1171:

Fécundamque minus naturam cern*is* in ill*is*.
Súbtilem mag*is* e parv*is* constare figur*is*.
Vísceri*s* in terr*is* quodcunque et sanguinis extet.
Ét mag*is* in somn*is* mirando corporis auctu.

discernendum est inter monosyllaba, bisyllaba, trisyllaba homoeocatalecta, prout similitudo aut ad ultimam aut ad ultimam et secundam aut ad ultimam et secundam et tertiam a fine syllabas pertineat. Atque caveas oportet, ne omnia sive homoeoteleuta sive homoeoptota ex voluntate poetae esse putes. Voluntatis autem signa in homoeocatalecto fere eadem valent atque in homoeoarcto (v. p. 37), ita ut non opus sit ea renovare.

Homoeocatalecti igitur κατὰ μέρος λόγου usus, qui non tam late patet quam ille alter qui κατὰ κῶλα effertur, praecipue ad singulas syllabas pertinet; sed ne bisyllaborum quidem trisyllaborumque continua ratio deest.

Ac *monosyllaba* proprium locum habent in iambicorum senariorum, octonariorum trochaicorumque septenariorum fine h. e. in IV. V. VI. (VI. VII. VIII.) arsibus: iambicorum autem et anapaesticorum septenariorum in eis arsibus, quae caesurae legitimae sunt proximae (II.) III. IV. (V.). Amph. 928; Curc. 199; Asin. 405; Bacch. 1101:

Valeás, tibi habeas rés tu*as*, redd*ás* me*as*.
Béne monstrantem púgnis caedis, hánc am*as*, nug*ás* mer*as*.
Siquidem hércle Aeacidin*ís* min*ís* anim*ís*que expletus cédit.
Canó capite atque al*bá* bar*ba* miserúm me auro esse emúnctum.

Hoc vero multiplex ex Bacch. 1088 non solum II. III. IV. V. sed etiam I. et VI. arses anap. sept. obtinet:

Stult*í* stolid*í* fatu*í* fung*i* bard*í* blenn*i* buccónes.

In anapaest. octonar. cum arses caesurae finitimae tum ultimae monosyllabis sunt aptae Cist. II, 1, 4 (5)[1]:

Iact*ór* cruci*or*, agit*ór*, stimul*or*, vors*ór* in rota miser éxanim*or*.
(Feror dífferor distrahor díripi*or*: ita nubilam mentem animi hábeo.)

Versus cretici monosyllaba κατὰ πόδας idque ab initio efferunt. Trin. 294; Bacch. 647; Cas. V, 2, 10; Curc. 149 (hoc cum triplici epanaphora κ. πόδας); Rud. 208:

1) *Dimetros instituit F. Leo, Mus. Rhen. 1883, p. 12: De aliis octonariis cogitavit Mueller, p. 45 et 370.* v. 4 in amoris rota *libri*; in rota *Spengel*, Reformvorschl. p. 279. *uno ex tribus illis verbis* iactor crucior *agitor deleto in* amoris rota *servat Seyffertus*, St. Pl. p. 8.

Né col*as*, ne ínbu*as* [eís tuum] ingénium.[1])
Régi*as* cópi*as* aúre*as*que óbtuli.
Cónloc*o* fúlci*o* mólli*o* [blándior].
Vós am*o* vós vol*o* vós pet*o* atque óbsecr*o*.
Néc cib*o* néc loc*o* técta quo sím sci*o*.

Versus hexametri monosyllaba habent in arsibus caesuris semiquinariae et semiseptenariae finitimis Enn. ann. 243:

Cónsili*o* indu for*o* lat*o* sanct*o*que senatum.

Bisyllaba in trochaicis versibus ab initio efferuntur Stat. com. 150:

'Ita plor*ando* or*ándo* inst*ando* atque óbiurg*ando* me óbtudit.

In bacchiacis tettrametris haec vel in III. IV. pede extant, Amph. 651:

Et pátria et prognáti tut*ántur* serv*ántur*.

vel in I. II.: Poen. I, 2. 19. 10. (11.):

Orn*ántur*, lav*ántur*, tergéntur, poliúntur.
Lav*ári* aut fric*ári* aut tergéri, aut ornári,
(Políri expolíri, pingí fingi: et una.)

Versuum hexametrorum in IV. V. VI. ars. Lucil. XXX, 39:

Nós esse arquatos? surg*amus*, e*amus*, ag*amus*.

in V. VI. Lucr. III, 461; IV, 1012:

Síc animum curas acris luc*tumque*, me*tumque*.
Mágna, itidem saepe in somnis faci*untque* ger*untque*.

in IV. VI. Enn. ann. 107 (versus a Char. p. 282, 12; Diom. p. 447, 12; Don. p. 398, 24; Pomp. p. 304, 1, laudatus):

Maérentes flentes lacrim*antes* conmiser*antes*.

Trisyllabum homoeocatalecton Plautus in Aulularia continuavit act. III, sc. 5, 35 sqq. Plerumque autem verba in *-arii* desinentia in fine iambicorum senariorum conlocata sunt aliquotiens tertia vel prima arsibus adsumptis: semel vero omnes arses homoeocatalecto occupantur v. 510:

Flamm*árii*, viol*árii*, carin*árii*.

1) *Sic Ritschelius in priore ed. Trin.; secundis curis trimetrum restituit* ne colas *quod e glossemate* essent *deletis*.

B. Paromoeoseos κατὰ κῶλα

apud veteres Romanorum poetas triplex usus est: κατὰ διποδίας, καθ' ἡμιστίχια, καθ' ὅλους στίχους.

§ 18. I. De *paromoeosi* κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων.

Homoeocatarcti quidem ea ratio, quam Aristoteles constituit, praecipue ad hemistichia pertinuisse videtur.

In I. IV. ars. hexametri Enn. ann. 161:

Sómnia verum aliquot, verum *omnia* noenu necéssest.

In I. et III. dipod. troch. sept. Asin. (865) 866; Rud. 642; Trin. 888 (hoc c. homoeocat. κ. ἡμιστ.):

'Ait sese ire ad 'Archidemum, Chaéream, Chaeréstratum,
Cl*íniam*, Chremém, Cratinum, *Díniam*, Demósthenem.
Duae *ínnocentes* íntus hic sunt, tui *índigentes* aúxili.
'Est minu*sculum* álterum, quasi vé*sculum* vinárium.

In I. V. ars. troch. sept. Lucil. XXIX, 88:

Mángo, non magná mercedest, *mágno* quod condúxeris.

Homoeocatarcti altera species, ὁμοιοκατάληκτον κατ' ἀρχὴν τῶν κώλων, apud Plautum in hemistichiis cernitur Capt. 804; Rud. 270:

Cóntin*ete* vós domi prohib*éte* a vobis vím meam.
Cándid*atás* venire hósti*atás*que: ad hoc.

Ceterum cognosce usum homoeocatarcti κατὰ διποδίαν: Lucr. VI, 378; Andr. 912:

Hínc flammis, ill*inc* ventis umoreque mixto.
Sóllicitando et *póllicitando* eorum ánimos lactas? — Sánun es?

καθ' ὅλους στίχους Enn. ann. 272. 73:

Péllitur e medio sapientia, vi geritur res.
Sp*érnitur* orator bonus, horridus miles amatur.

Epanaphorae κατὰ διποδίαν usus ad initia primae et secundae dipodiae versuum iambicorum, trochaicorum, anapaesticorum pertinet Rud. 220. 21; Pseud. 575. 583:

Quíd mihi meliust, *quíd* magis in remst, quám corpore vitam út secludam?
'*Ita* male vivo atque *íta* mi multae in péctore súnt curae éxanimales.

[redacted]

Neque quód dubitem, *neque quód* timeam, in péctore conditum cónsiliumst.
Facile út vincam, *facile út* spoliem meos pérduellis meis pérfidiis.

In iambicis senariis, quoniam caesura obstitit, hic usus raro vel omnino non invenitur: exemplum quidem non in promptu habeo. In trochaicis septenariis saepius etiam tertia dipodia epanaphora afficitur: Men. 403:

Saépe tritam, *saépe* fissam, *saépe* excussam málleo.

in tribus versibus contiguis Poen. I, 52—4 (cum comica pronuntiatione):

Méa voluptas, *méae* deliciae, *méa* vita, mea amoénitas!
Méus ocellus, *méum* labellum, *méa* salus, meum sávium!
Méum mel, meum cor, *méa* colostra! *méus* molliculus cáseus!

Epanaphora *καθ' ἡμιστίχια* iamb. sept. legitur Asin. 561 (cum quadrupl. epan. *κ. ὅλ. στίχ.* 561—64; eadem epan. *κ. ὅλ. στ.* 569—74):

Ubi fídentem fraudáveris, *ubi* ero ínfidelis fúeris.

In I. V. ars. troch. sept. Capt. 903—5:

Quánta pernis péstis veniet, *quánta* labes lárido,
Quánta sumini ábsumedo, *quánta* callo cálamitas,
Quánta laniis lássitudo, *quánta* porcináriis.

In cretic. tettr. Amph. 220:

Díspertití viri *díspertiti* órdines.

In vers. hexam. Enn. ann. 53:

Té sale nata precor Venus, *té* genetrix patris nostri.

Καθ' ὅλους στίχους.

Iamb. senar. ex inc. inc. tr. 61. 62:

Vidí te Ulixes, sáxo sternentem Héctora,
Vidí tegentem clípeo classem Dóricam.

Iamb. sept. Asin. 581. 82 (cf. 561—64. 569—74):

Ut ádsimulabat Saúream med ésse, quam facéte:
Ut mémoriter me Saúream vocábat atriénsem.

Troch. sept. Asin. 159. 60:

'Ego pol istum pórtitorem prívabo portório.
'Ego té dehinc ut mérita's de me et meá re tractare éxequar.

Troch. octon. Rud. 225—228:

Néque eam usque invenió neqúe quo eam néque qua quaeram [eám] consultumst.
Néque quem rogitem résponsorem quémquam interea [hic hóminem] invenio.
Néc magis solae térrae solae súnt quam haec sunt loca atque haé regiones.
Néque si vivit eám viva unquam quín [vivam] inveniám desistam.

§ 19. II. *De paromoeosi* κατὰ τέλος τῶν κώλων.

Praeter homoeoarcti nulla paromoeoseos ratione veteres Romanorum poetae magis delectati sunt nullaque saepius usi sunt quam *homoeocatalecto* κατὰ τέλος τῶν κώλων. Nec solum apud veteres poetas verum etiam apud eos qui Augusti Caesaris temporibus fuerunt, nec minime apud Vergilium elegiacosque poetas huius figurae frequens usus invenitur.

Propono autem Luciani Muelleri de homoeoteleuto (κατὰ κῶλα)[1]) iudicium de re metr. p. 456. editum, quippe quem solum cum versuum exitum tum *caesuram* in medium vocavisse videam: ‚Contra aptae mehercule homoeoteleutis eae sunt partes metrorum, quibus utique necesse est morari vocem, scilicet in *caesura* et exitu numeri positae. proximum frequentiae tale est homoeoteleuton, quod in fine constat versuum continue iunctorum. nimis longe placent primo et ultimo loco eiusdem carminis aut initiis collocata diversorum. rarissima sunt, quae sententiarum ac non numerorum constent terminis. denique mediis metris aut fine versuum non contiguorum accidentia homoeoteleuta praeter paronomasias casu evenisse putabimus'. Comprobat igitur homoeoteleuta καθ' ἡμιστίχια et καθ' ὅλους στίχους siquidem in fine versuum constant: equidem vero homoeocatalecti triplicem usum κατὰ διποδίαν, καθ' ἡμιστίχια, καθ' ὅλους στίχους — atque hunc non solum in fine sed etiam ante caesuram extare probabo — per omnia versuum genera persequar.

---

1) Nam homoeoteleuton κ. μέρος λόγου respuit de re metr. p. 456: Iam *promiscue* admitti homoeoteleuta, quamquam nulla legevetatur, tamen et inutile est plerumque, cum minime subsistatur in partibus orationis non constantibus finito ordine metrico, et aliquando ob deformitatem sonorum vitiosum, *velut male habent* talia Lab. 80 (v. p. 78) inc. tr. 21 hoc dolet pudet *piget Luc. XXX, 39* (v. p. 73).

[redacted]

1. Homoeocatalecton κατὰ διποδίαν.

Iambicorum senariorum monosyllaba in IV. et VI. ars. ponuntur. Bacch. 845; Men. 356; Eun. 440:

Non me árbitratur mílit*em*, sed múlier*em*.
Amánti amoenitás mal*ost*, nobís lucr*ost*.[1]
Ubi nóminabit Phaédri*am*, tu Pámphil*am*.

bisyllaba conlocantur in I. et III. ars. Mil. 1383; Phorm. 702; Lab. com. 55; Pac. tr. 365:

Cumul*áte* commodit*áte* praeter céteros.
Voc*ándi* sacrufic*ándi* dábitur paúlulum.
Vers*órum*, non numer*órum* numero stúduimus.
Sol*átur* auxili*átur* hortatúrque me.

Iambici septenarii monosyllaba in II. et IV. ars. habent. Most. 181. 82:

Ego vérum am*o*, verúm vol*o* mihi díci: mendacem ódi.
— Ita tú me am*es*, ita Phílolach*es* tuus té amet, ut venústa's.[2]

bisyllaba in V. et VII. ars. Most. 196; Eunuch. 257. 605:

Moneo égo te: te ille déseret ae*táte* et satie*táte*.
Cetárii laniî coqui, far*tóres* pisca*tóres*.
Mihi osténtam tantam tám brevem tam opt*átam* tam insper*átam*.

Iambicorum octonariorum in II. et IV. ars. bisyllaba conlocantur Ad. 213:

Ego vápul*ando* ille vérber*ando* usque ámbo defessí sumus.

Trochaici septenarii monosyllaba in VI. et VIII. ars. habent, Curc. 289; Trin. 633:

Qui íncedunt suffárcinati cúm libr*is*, cum spórtul*is*.[3]
Quí mihi bene quom símules facere, mále fac*is*, male cónsul*is*.

bisyllaborum[4]), quae in II. et IV. ars. locantur, apud veteres

---

1) versus in cantico legitur.

2) Cum epanaphora κ. διποδ. coniunctum: quod saepe fit cf. Amph. 1039; Curc. 297; Lab. com. 80; Pseud. 943; Cas. V, 2, 1; Mil. 1033; Men. 116. κ. ἡμιστίχια: Bacch. 1094; Truc. 622. 23. saepius.

3) Loewii huius versus athetesis reicienda est. cf. Ribbeck, Beitr. z. Kr. d. Pl. Curc.: Ber. d. k. s. G. d. W. vol. 31, p. 89.

4) Lorenz praef. ad Pseud. p. 38: ‚Besondere Erwähnung verdienen noch die auch unserm Ohr sehr wohlklingenden gereimten Vorderdipodien des *trochäischen Septenars*'.

maxima copia est: pauca appono, Amph. 1013; Curc. 297; Enn. tr. 233. 47 (hoc cum homoeoarcto post caesuram); Luc. XXVI, 95; Asin. 523 (hoc cum homoeoarcto et monosyllabo homoeocatalecto post caes.):

'In medic*inis*, ín tonstr*inis* ápud omnis aedís sacras. 1)
'Et da*tores* ét fac*tores* ómnis subdam súb solum.
Tú me am*oris* mágis quam hon*oris* sérvavisti grátia.
Mén ob*esse*, illós prod*esse*, me óbstare, illos óbsequi.
Tuám prob*atam* mi ét spect*atam* máxume adulescéntiam.
Cómpell*are* aut cóntrect*are* cónloquive aut cóntui.

Sexta arsi adsumpta Lab. com. 80:

Nón mamm*osa* nón ann*osa*, nón bib*osa* nón procax.

In II. et IV. ars. *troch. octonar.* Trin. 833:

Dístrax*issent* dísque tul*issent* sátellites tui míserum foede.

Per quattuor dipodias *anapaesticas* monosyllabum homoeoteleuton continuatur Stich. 31—3, quos dimetros esse voluit Ritschelius:

Quom ipsi ínterea vivánt vale*ant*,
Ubi sínt, quid ag*ant*, ecquíd pari*ant* 2),
Neque párticip*ant* nos néque redeunt.

In II. et IV. ars. *anapaest. septenar.* Pseud. 943; Cas. V, 2. 1; Bacch. 1192; Mil. 1033:

Ita mé di am*ent* — Ita nón faci*ent*: mera iám mendacia fúndes.
Neque quó fugi*am*, neque ubí late*am*, neque hoc dédecus quomodo célem.
Si dúm viv*as*, tibi béne faci*as*, pol id ésse haud perlongínquom.
Quia tís eg*eat*, quia té car*eat*: ob eám rem huc ad te míssast.

In II. et IV. ars. *anap. octon.* Pers. 176:

Potin út tac*eas*? potin né mon*eas*? memini ét scio et calleo et cónmemini. 3)

---

1) cf. Epid. 198: Pér medic*inas* pór tonstr*inas* ín gumnasio atque ín foro. a Lor. laud.

2) ecquid agant. *libri*; ecquid pariant *Seyffert*, *Phil. 25, p. 442*; ecqui bene agant *Ritschl;* ecqui indigeant *Fleckeisen.*

3) Ritschelius cum A dimetros descripsit: sed octonarius elucet ex consociatione homoeoteleuti cum homoeoarcto post caesuram. Ceterum vet. cod. *duos versiculos in* unum contractos habet.

In II. et IV. ars. *vers. hexametr.* Enn. ann. 233. 246. 495; Ovid. Met. IV, 11:

> Pár*erent*, observ*arent*, portisculus signum.
> 'Evomer*et*, si qui vell*et*, tutoque locaret.
> Hísp*ane*, non Rom*ane* memoretis loqui me.
> Túraque d*ant* Bacchumque voc*ant*, Bromiumque Lycaeum.

Nescio an huc spectet quod in creticis tettrametris saepissime primi et secundi pedis arses secundae monosyllabo homoeocatalecto distinguntur (v. p. 72) Men. 115. 116:

> Quó ego e*am*, quám rem ag*am*, quíd negotí geram,
> Quíd pet*am*, quíd fer*am*, quíd foris égerim.

2. Homoeocatalecton καθ' ἡμιστίχια.

In *versu saturnio:* carm. Sal. ap. Jordan. Beitr. p. 211 (?); Varr. de re r. I, 2. 27 (?); Naev. 24. V.:

> Divum empta cante — divum deo supplicante.
> Terra pestem teneto — salus hic maneto.
> Bicórporés Gig*ántes* — mágníque Atl*ántes.*

Iamb. octonar. Epid. 195; Heaut. 184; Truc. 216:

> Ipsi hí quidem mihi dánt vi*am*, quo pácto ab se argentum aúfer*am*.
> Fuit sémper familiárit*as*. — Voluptátem magnam núnti*as*.
> Magisque ádeo ei cons*iliárius* hic amícust, quam aux*iliárius*.

Troch. octon. Rud. 223; Trin. 264; Cas. II, 3. 29; Nov. com. 21:

> 'Omnia iam circúmcurs*avi* atque ómnis latebras pérrept*avi*.
> Mílle modis amor ígnor*andust*, prócul abdendus átque abst*andust*.
> Únde [tu] is nihili? úbi fu*isti*? úbi lustratus? úbi bib*isti*?[1])
> Mélior cuius vox gállul*ascit*, cuíus iam ramus róbor*ascit*.

Troch. septen. Mil. 1371; Truc. 258 (cf. Trin. 709); Hec. 848; Luc. XXVI, 79:

> Nám si honeste céns*eam* te fácere posse suád*eam*.
> Quíd tibi ad hasce accéss*iost* prope aédis aut pultát*iost*?
> Quís me est fortunát*ior* venustátisque adeo plén*ior*?
> Nón idcirco extólli*tur* nec veítae vegrandí da*tur*.

Anap. octonar. Bacch. 1094. 95; Rud. 956. 57. 58:

---

1) *an: Unde* is nihili, tu? úbi f. etqsq.?

Chrusálus me hodie [de]lácer*avit*, Chrusálus me miserum spóli*avit*.
Is mé scelus auro usque áttondit dolis dóctis indoctum út lubitumst.
Furtum égo vidi qui fáci*ebat*: norám dominum id quoi fí*ebat*.
Post ád furem egomet dévenio feroque eí conditionem hóc pact*o*:
Ego istúc furtum scio quoíst fact*um*: nunc míhi si vis dare dímidi*um*.

Cret. tettr. Truc. 622. 23; Amph. 235. 36:

Quíd tibi huc vént*iost*? quíd tibi hanc ádit*iost*?
Quíd tibi hanc nótiost, ínquam amicám meam?
Dénique ut vóluim*us*, nóstra superát man*us*;
Hóstes crebrí cadunt: nóstri contra íngruont.

Vers. comp. ex duab. dipod. troch. Pseud. 259. 60. 61 (60. 61. cret. tettr.):

Heú heu, quam ego mal*is* pérdidi mod*is*,
Quód tibi détuli, quód dedi. — Mórtua
Vérba re núnc facis: stúltus es, rem áctam ag*is*.

In III. et VI. ars. vers. hexametr. Verg. Aen. III, 549; ecl. VIII, 80:

Córnua velat*arum* obvertimus antemn*arum*.
Límus ut hic dur*escit*, et haec ut cera liqu*escit*.

cf. Hom. Il. v. 392. laudatum a Phoebam. VIII, 517, 9. W.:

Ὕλλῳ ἐπ' ἰχθυόεντι Ἕρμῳ δινήεντι.

Quod multo saepius monosyllaba in III. arsi et ultima thesi bisyllaba ante caesuram semiquinariam et in fine conlocantur, ex versus hexametri structura manat. Maximam exemplorum copiam contulit Guil. Grimmius (S.-B. d. Berl. A. 1851) monosyllaba (a) p. 627 e Lucretio, p. 634 e Catullo, p. 636 e Vergilio, p. 641. 2 ex Horatio, Tibulliana Propertiana p. 646, bisyllaba (a*) pp. 631. 636. 639. 644. 646.

Notissimum est utrumque colon *pentametri* apud elegiacos poetas saepissime homoeocatalecto concinere. Iuvabit autem de *forma* eius memorare. Longe enim maxima copia exemplorum homoeoptota sunt atque ea homoeoptota, quae cernuntur in substantivo cum suo attributo eodem modo declinatis. In Catulli quidem el. LXV eiusmodi homoeoptota quattuor (quinque) 4. 8. (14.) 18. 20. leguntur, homoeoteleuton nullum extat; itemque in el. LXVI, cum septem versus homoeoptoto distincti sint: 6. 14. 16. 20. 56. 68. 84, homoeoteleuta duo tantum extant: 2. 38 (?):

Quí stellarum or*tus* comperit atque obi*tus*.
Prístina vota nov*o* munere dissolu*o*. (?)

Eadem ratione usi sunt Tibullus, Propertius, Ovidius. Ac Tibullus in prima elegia libri primi homoeptoton posuit in septem pentrametris 2. 26. 42. 44. 52. 68. 76; I, 2 homoeoptoton duodeciens adhibuit: 6. 20. 22. 30. 42. 46. 62. 68. 78. 82. 92. 94; homoecatalecti alia exempla in III. et VI. ars. pentametrorum non inveniuntur. Apud Propertium autem I, 1 quinque homoeoptota inveniuntur, 6. 8. 12. 18. 20. I, 2: quattuor 6. 20. 22. 32. I, 3: septem 6. 12. 28. 30. 42. 44. 46: homoeoteleuton in prima et secunda elegia omnino non legitur, in tertia semel v. 40:

(O utinam tales producas, improbe, noctes,)
Me miseram qual*es* semper habere iub*es*.

Ovidius denique amor. I, 1 homoeoptoton quinquiens posuit 12. 18. 20. 22. 28, abstinuit homoeoteleuto in hac prima, neque in aliis saepe usus est.

3. Homoeocatalecton καθ' ὅλους στίχους vel ante caesuram vel in fine versuum conlocatur.

In fine prioris hemist. *vers. saturn.* Naev. 37 sq.:

Seséque eí per*íre* — mávolúnt ibidem,
Quam cúm stupró red*íre* — ád suós populáres.

Iambici senarii monosyllaba et trisyllaba in fine habent. Monosyllaba Pseud. 811. 12. 13:

Qui míhi condita práta in patinis próf*erunt,*
Boves quí convivas fáciant, herbasque ógg*erunt,*
Eas hérbas herbis áliis porro cóndiunt.

Trisyllaba. Pseud. 67. 68; 805. 806; Pacuv. tr. 313. 14; Enn. tr. 92. 93 (hoc cum polyptoto κ. ἀρχ. τῶν κώλων) ex inc. inc. tr. 133 sqq.:

Tenerís labellis mólles mor*siúnculae,*
Papíllarum horridulárum oppres*siúnculae.*
Nemo íllum quaerit, qui óptumus, car*íssumust:*
Illúm conducunt pótius qui vil*íssumust.*
Quae désiderio alúmnum, paen*itúdine.*
Squalé scabreque, incúlta vast*itúdine.*
Hectórem curru quádriiugo raptárier,

Hectóris natum dé muro ia*ctárier*.
Caelúm nitescere, árbores frond*éscere,*
Vités laetificae pámpinis pub*éscere,*
Ramí bacarum ubértate incurvíscere.

Cf. etiam hoc exempl. ex Plaut. Men. 259. 60, ubi homoeocatalecton binis vocabulis continetur:

Voluptárii atque pót*atores* máx*umi,*
Tum súcophantae et pálp*atores* plúr*umi.*

Iambicorum septenariorum monosyllaba ponuntur in IV. arsi, Asin. 601 sq.; Poen. V, 4, 76 sq.:

Qui sése parere ádpar*ent* huius légibus profécto,
Numquám bonae frugí si*ent*, diés noctesque pótent.
Quoqué modo huiusce fíli*as* apud vós habeatis sérvas,
Quas vós ex patria líber*as* subréptas esse scítis.

bisyllaba in VII. arsi: Curc. 496 sq.; Stich. 674 sq.; Most. 241 sq.:

Qui abiúrant si quid créditumst? aliénos mancup*átis,*
Aliénos vos emíttitis aliénisque imper*átis.*
Mirúm videri némini vostrúm volo spectat*óres,*
Quid ego hínc, quae illi habito, huc éxeam: faciám vos certi*óres.*
Edepól si vel summó Iovi eo argénto sacrufic*ássem,*
Pro illíus capite quód dedi, numquam aéque id bene loc*ássem.*

Iambici octonarii monosyllaba in IV. vel VIII. ars. habent Amph. 1002 sq.:

Deinde ílle actutum súffer*et* suus servos poenas Sósi*a*,
Eum fécisse ille hodie árgu*et*, quae ego fécero hic: quid íd me*a*?

bisyllaba in IV. arsi Capt. 914 sq.:

Advéniens totum déturb*avit*[1]) cúm carni carnárium.
Adrípuit gladium, détrunc*avit* tríbus tegoribus glándia.

Trochaici septenarii monosyllaba et trisyllaba in fine habent. Monosyllaba Enn. tr. 44 sqq.; Amph. 828 sq.:

Vírgines aequális vereor, pátris mei meum factúm pud*et,*
'Optumi virí. mea mater, tuí me miseret, meí pig*et*:
'Optumam progéniem Priamo péperisti extra me: hóc dol*et*:
Mén obesse, illós prodesse, me óbstare, illos óbsequi.

1) *Fleckeisen et Brix cum libris* deturbavit totum; *transpositio ab homoeoteleuto commendationem habet.*

[redacted]

Námque de illo súbditivo Sósia mirúmst nim*is*:
Cérte de istoc 'Amphitruone iam álterum mirúmst mag*is*.

Trisyllaba Curc. 331 sq.; Trin. 849 sq.; Men. 208 sq.:

Scíres velle grátiam tuam: nóluit frustr*árier*,
Út decet velle hóminem amicum amíco atque opitul*árier*.[1]
Dícam ab eo homine me áccepisse, quem égo qui sit homo *néscio*:
Néque novi neque nátus necne fúerit, id solidé *scio*.
Iúbe igitur tribus nóbis aput te prándium adcur*árier*,
'Atque aliquid scitámentorum dé foro obson*árier*.

Bisyllaba ante caesuram locantur. Curc. 288—91; Men. 813 sq.; Poen. IV, 2, 104 sq.; Merc. 851 sq.:

Túm isti Graeci pálli*ati* cápite operto qui ámbulant,
Qui íncedunt suffárcin*ati* cúm libris, cum spórtulis,
Cónstant conserúnt sermones ínter sese drápetae:
'Obstant obsistúnt intendunt cúm suis senténtiis.[2]
Mé neque isti mále fec*isse* múlieri, quae me árguit
Hánc domo ab se súbrupu*isse* [néque vidisse unquam ăntidhac].
Nám et hoc docte cónsul*endumst* quó modo concréditumst,
'Et illud aut insérvi*endumst* cónsilium vernáculum.
'Egomet mihi comés cal*ator*, équos, agaso sum, ármiger;
'Egomet sum mihi ínper*ator*, ídem egomet mi oboédio.

In fine *dimetrorum anapaesticorum* Enn. tr. 86 sqq.:

Haec ómnia videi inflámm*arei*,
Priamó vi vitam evít*arei*,
Iovis áram sanguine túrp*arei*.

In fine *cretic. tettr.* Most. 715 sq.:

Hóc habet: répperi quí senem dúc*erem*,
Quó dolo a mé dolorém procul péll*erem*.

---

1) A Loewio hi versus Plauto denegantur: retinentur a Ribbeckio S.-B. d. k. s. A. vol. 31, p. 85.

2) Nullo modo licet hos versus divellere: nam tam arcte inter se coniuncti sunt, non solum homoeocatalecto in *-ati* 288. 89, in *-is* 289. 91, sed etiam homoeocatarcto 290. 91 Constant conserunt — Obstant obsistunt, ut si unum cieceris, omnes negare tibi opus sit. Equidem hos vere Plautinos habeo. Loewius in editione et Mus. Rh. 34, p. 606, v. 289 a Plauto abiudicat. Ribbeckius omnes retinet l. l. p. 89, vv. 290. 91 scilicet inter se mutatis et 290 *tum qui* pro *constant* positis. Ceterum v. 291 pro librorum incedunt Ribbeckianum *intendunt* recepi.

In fine *bacch. tettr.* Capt. 923 sq.:

> Quom tó reducém [núnc] tuo patrí reddid*érunt*,
> Quomque éx miseriís plurumís me exem*érunt.*

Versus hexametri monosyllaba ante caesuram semiquinariam habent Enn. ann. 251 sq.:

> Scítus secunda loqu*ens* in tempore commodus verbum
> Paúcum, multa ten*ens* antiqua sepulta, vetustas.

bisyllaba in fine. Lucr. II. 581 sq.; 941 sq.:

> 'Illud in his obsignatum quoque rebus hab*ere*
> Cónvenit et memori mandatum mente ten*ere.*
> Néc congressa modo vitalis conveni*entes*
> Cóntulit inter se motus, quibus omnitu*entes.*

Praeterea Grimmius l. l. p. 633 haec Lucretiana adnotat I, 543 sq.; 664 sq.; 734 sq.; 961 sq.; 1088 sq.; II, 417 sq.; 626 sq.; V, 370 sq.; 963 sq.; Vergiliana Aen. III, 656 sq.; IV, 256 sq. alia ex aliis profert.

Apud elegiacos bina vel terna disticha, quae eadem sententia continentur, saepius homoeocatalecto κατὰ τέλος *pentametrorum* arctius inter se conglutinantur. Tib. I, 1, 39—44. I, 2, 1—4:

> Fíctilia antiquus primum sibi fecit agrestis
> Pocula, de facili conposuitque lut*o.*
> Nón ego divitias patrum fructusque requiro,
> Quos tulit antiquo condita messis av*o*:
> Párva seges satis est, satis est, requiescere lecto
> Si licet et solito membra levare t*oro.*
> 'Adde merum vinoque novos conpesce dolores,
> Occupet ut fessi lumina victa sop*or*:
> Neú quisquam multo perfusum tempora Baccho
> Excitet, infelix dum requiescit am*or.*

cf. I, 1, 26. 28; 8. 10; 16. 18; Prop. I, 1, 2. 4; Trisyllabum est Cat. LXXXIII, 3—6:

> Múle, nihil sentis. si nostri oblita taceret,
> Sana esset: nunc quod gannit et obl*oquitur*,
> Nón solum meminit, sed quae multo acrior est res
> *Iratast.* Hoc est, uritur et c*oquitur*.

[redacted]

Ad *antistrophes* usum inlustrandum pauca exempla sufficient. κατὰ διποδίαν: in fine primae et secundae dip. troch. sept. Amph. 395; Bacch. 84:

Pácem *feci*, foédus *feci*, véra dico. — Vápula.
Dáto qui *bene sit*; égo ubi *bene sit*, tíbi locum lepidúm dabo.

in III. et IV. dip. Trin. 360; Most. 273:

Qui íllic habitat. — Quín comedit quód *fuit*, quod nón *fuit*.
Quápropter? — Quia ecástor mulier récte *olet*, ubi níl *olet*.

καθ' ἡμιστίχια Amph. 199:

Nam quóm pugnabant *máxume*, ego túm fugiebam *máxume*.

καθ' ὅλους στίχους: in caesura Curc. 513. 14:

Indígnis si male *dícitur*, male díctum id esse dúco:
Verúm si dignis *dícitur*, bene díctumst meo quidem ánimo.

in fine Curc. 21. 22; Men. 941—44:

Numquam úllum verbum múttit: quom aperitúr, *tacet*,
Quomque ílla noctu clánculum ad me exít, *tacet*.
'At ego te sacrám coronam súbrupuisse Ióvi [*scio*]:
'Et ob eam rem in cárcerem ted ésse conpactúm *scio*:
'Et postquam es emíssus, caesum vírgis sub furcá *scio*:
Túm patrem occidísse et matrem véndidisse etiám *scio*.

Sub antistrophes usum cadunt brevia responsa per complures versus iterata ut Trin. 580 sqq. í modo, Rud. 1212 sqq. licet, 1265 sqq. cénseo, Men. 610 sqq. nugás agis: haec enim in fine versuum locata sunt. Nec minus ea quae quamvis variatis verbis tamen in eandem sententiam congruunt ut Poen. I, 3, 19 sqq. í modo — ábi modo — etiámne abis —ne abitúrus es — pergin pérgere — pérgin auris túndere. Trin. 1035 sq. morem ínprobum — nequám quidem. in fine ponuntur.

Symploees exemplum extat Truc. 48—50:

Sin álter alteri ódiost, idem a fíde *perit*,
Si ráras noctes dúcit, ab animó *perit*,
Sin crébras ducit ípsus gaudet, rés *perit*.

Cap. III.

§ 20. Paromoeoseos usu exhausto iam progrediendum est ad ceteras figuras, quae in similitudine verborum versantur. Atque etiam parecheseos, paronomasiae, paregmeni, polyptoti [1]) cognoscendus est duplex usus: κατὰ μέρος λόγου et κατὰ κῶλα. Ille autem conspirat cum homoeoarcto, hic cum homoeocatalecto κατὰ κῶλα, ita ut in illo arses post caesuram primas quasi partes obtineant, in hoc autem triplex conspiciatur ratio κατὰ διποδίαν, καθ' ἡμιστίχια, καθ' ὅλους στίχους. Praestringam igitur usum utrumque.

1. Κατὰ μέρος λόγου.

Parechesis in prima dipodia post caesuram locata est Amph. 342; Men. 169; Pseud. 632; Poen. III, 2, 17. ex inc. inc. tr. 171:

Quíd id exquiris tú qui pugnis *ós* ex*os*sas hóminibus?
Quíd igitur? quid olét responde. — F*úrtum* sc*ortum* prándium.
Quási non mihi sescénta tanta *sóli* *sol*eant crédier.
Sátis praeceptumst. — Híc trecentos *núm*mos *num*eratós habet.
Síbi salutem ut fámiliari *pár*eret *par*ricídio.

in fine: Rud. 102; Truc. 179; Trin. 1053; Mil. 228 (hoc c. epanaph. κ. ἡμ.):

Nam núnc perlucet éa quam *cribrum* *crébr*ius.
Facta átque corda in félle sunt sita átque *ace*rbo *acé*to.
Vél illud quod credíderis perdas vél illum *ami*cum *amí*seris.
Mágnam illic homo rem íncipissit mágna *moenit* *moénia*.

in III. et IV. ped. cret. tettr. Curc. 153:

Hóc vide ut dórmiunt *péssuli* *péssumi*.

in V. et VI. ped. vers. hexam. Lucr. VI, 626:

Síccari mollisque luti con*cres*cere *crus*tas.

Praeclarum exemplum est Capt. 903—5, ubi parecheseos paria quinque in tribus versibus contiguis ita locata sunt, ut II. III. arses ter, VI. VII. bis distinctae sint; accedit epanaphora sexiens partita:

Quánta *per*nis *pés*tis veniet, quánta *la*bes *lá*rido,
Quánta *sum*ini áb*sum*edo quánta *cal*lo *cál*amitas.
Quánta *la*niis *lá*ssitudo, quánta porcináriis.

---

1) *Pareus* lex. Plaut. harum figurarum Plautina exempla, non subtiliter *scilicet inter singulas* discernens adposuit s. vv. *paronomasia*, *parallela*, *Atticismus*.

[redacted]

Tripl. parech. in III. IV. VI. ars. vers. sat. Diom. p. 512, 20. K.:

Summás opés qui *rég*um — *rég*iás ref*rég*it.

Paronomasia in arsibus post caesuram legitur Bacch. 129; Cist. I, 3 (53.) 54; Hec. 681; Bacch. 240; Mil. 289; Men. (615.) 616. 978:

Non ómnis aetas *Lúde ludo* cónvenit.
(Perdíte perduellis párite laudem et laúream,)
Ut vóbis victi *Poéni poenas* súbferant.
Puér quia clam te est *nátus*, *nanctus* álteram es.
Hau dórmitandumst: ópus est *chruso Chrúsalo.*
Néscio quo adulescénte. — Quod ego *Scéledre scelus* ex te aúdio?
(Quíd negotist? — Pállam — Pallam — Quídam pallam — Quíd paves?)
Níl equidem paveó, — nisi unum: *pálla pallorem* íncutit.[1])
Magis múlto patior fácilius ego *vérba: verbera* ódi.

Paregmenon quadruplex invenitur apud Enn. tr. 256:

$\acute{-}\smile$ stultust quí *cupita cúpiens cupientér cupit.*

triplex in V. VI. VII. ars. troch. sept. Capt. 409:

'Et mea opera si hínc rebito *fáciam ut faciat fácilius.*

Duplicium comici maximam frequentiam consecuti sunt.

In III. IV. ars. iamb. sen. Amph. 947; Trin. 68; Hec. 427; Ph. 18:

Ut quae apúd legionem *vóta vovi* sí domum.
Malís te ut verbis *múltis multum* obiúrigem.
Quod núnc minitare *fácere ut faceres,* Sósia.
Ille ád famam hunc a *stúdio studuit* reícere.

In VI. VII. ars. iamb. sept. Curc. 521; Asin. 712:

Fac sís bonae frugí sies: sequere ístum *bella bélle.*
Datísne argentum? — Sí quidem mihi áram et *statuam státuis.*[2])

In V. VI. ars. iamb. octon. Eunuch. 568; Hec. 594:

Quid múlta verba? amáre coepi. *fórte fortuná* domi.
Dum aetátis tempus túlit, perfuncta *sátis sum: satias* iám tenet.

---

1) Níl equidem páveó, nisi unum. — Pálla pallorem íncutit. Ribbeck. *Mus. Rh. 37, p. 543.*

2) statuam et aram statuis libri; Fleckeisen transp.

In V. VI. ars. troch. sept. Mil. 959; Rud. 426; Curc. 182; Epid. 120; Men. 1050; Phorm. 203:

Quaé te amat tuamque éxpetessit *púlcram pulcritúdinem.*
Nón licet te síc placidule *béllam belle* tángere.
Nam hóc quidem edepol haúd multo post *lúce lucebít.* — Tace.
Séd operam Epidicí nunc me emere *prétio pretiosó* velim.
Mén hodie usquam cónvenisse te, *aúdax, audes* dícere.
Tánto magis te advígilare aequomst: *fórtis fortuna* ádiuvat.

In VII. VIII. ars. troch. octon. Cas. II, 3, 10:

Múropolas omnís sollicito; úbicunque est lepidum *únguentum unguor.*

Post caesuram anap. sept. Bacch. 1169; Mil. 1035:

Non hómo tu quidem es, qui istóc pacto tam *lépidam inlepide* adpélles.
Quasi nón lubeat: me inclámato, quia síc te *volgo vólgem.*

In V. VI. ars. vers. hexam. Enn. ann. 157; Lucr. V, 393. 575:

Pródinunt famuli: tum candida *lumina lucent.*
Mágnis inter se de rebus *cernere certant.*
Límaque sive noto fertur loca *lumine lustrans.*

In vers. saturn. Naev. 43. V.; Ded. Sor. 2:

Verúm praetór advénit — *aúspicium aúspíciat.* [1])
Paréns timéns heic *vóvit* — *vóto* hóc solúto.

Polyptoton: in III. IV. ars. iamb. sen. Rud. 1262; Enn. tr. 64; Lab. com. 127:

Praeda ípsus esse: *praéda praedam* dúceret.
Bellúm gerentes *súmmum summa* indústria.
Non póssunt primi esse *ómnes omni* in témpore.

In VI. VII. ars. iamb. sept. Poen. V, 4, 100; Hec. 350:

Quibus núnc in terra mélius est? — Evéniunt *digna dígnis.*
Omném rem narrabít, scio, contínuo *sola sóli.*

In V. VI. ars. troch. sept. Amph. 726; Pseud. 1142; Rud. 439. 440:

---

1) vérum praétor | Advénit aúspiciát auspícium prósperúm *Vahlen.*
vérum praétor ádvénit | Et aúspiciát auspícium prósperúm *Buecheler, ann. 87, p. 335.*
Verúm praetór advénit, aúspiciát auspicium Bartsch, quem *secutus sum transpos. scil.* auspicium auspiciat.

[redacted]

'In somnis fortássis? — Immo *vígilans vigilantem* — Heí mihi.
Quíd iam? — Quia ted ípsus coram *praésens praesentém* videt.
Quór tu aquam graváre amabo, quam *hóstis hosti* cónmodat?
— Quór tu operam graváre mihi quam *cívis civi* cónmodat?

In anapaest. sept. Mil. 1054:

Age, mi 'Achiles, fiat quód te oro: serva íllam *pulcram púlcer.*

In vers. hex. Lucr. IV, 189:

Súppeditatur enim confestim *lumine lumen.*

2. *Κατὰ κῶλα.*

κατὰ διποδίαν:

In I. et II. dipod. iamb. sen. et troch. sept. Pseud. 1029 (paregm.); Bacch. 54 (paronom.):

Ne *cápta praeda cápti praedonés* fuant.
Mágis *inlectum* tuúm quam *lectum* métuo: mala tu's béstia.

In I. II. III. dip. troch. sept. Mil. 745 (paregm.); Bacch. 371 (paronom.):

Sérvientis sérvitutem ego *sérvos* instruxí mihi.
Bácchides non *Bácchides*, sed *Bácchae* sunt acérrumae.

Paregmeno in prioribus dipodiis conlocato in clausula tamquam tholus saepius accedit homoeoarcton. Pseud. 2:

Ere, quaé *miseriae* té tam *misere mácerent.*

vel paregmenon in clausula continuatur: Trin. 174; Enn. tr. 388:

Quid fúit *officium* meúm me *facere? fác* sciam.
Amícus *certus* ín re *incerta cérnitur.*

Aliquotiens eaedem figurae *κατὰ τριποδίαν* efferuntur. Capt. (859.) 60; Amph. 591 (hoc cum homoeoarcto in clausula):

(Cédo manum. — En manúm. — Di te omnes ádiuvant. — Nil séntio.)
Nón enim es in *sénticeto,* eó non *sentis.* séd iube.
'Aput erum qui *véra* loquitur, si íd vi *verum* víncitur.

In posterioribus dipodiis: And. 218; Heaut. 356; Bacch. 362; Pseud. 748; Naev. 18:

Nam incéptiost *améntium,* haud *amántium.*[1])
Tibi erúnt parata *vérba,* huic homini *vérbera.*

---

1) paronomasiae exemplum laudatum a Diomede p. 446, 16; Don. p. 398, *15; Pomp. p. 303,* 12; Claudio Sacerdote p. 458, 18 K.

Faciétque extemplo *Crúcisalum* me ex *Chrúsalo*.
'Ecquid is homo scítust? — Plebi *scítum* non est *scítius*.
Né mihi gerere mórem videar *língua*, verum *língula*.

2. καθ' ἡμιστίχια, ante caesuram et in fine versuum. parechesis: Trin. 171; paronomasia: Pers. 305; Trin. 977:

Gregem únivorsum vóluit totum avórtere.
Satin éa tenes? — Magis *cálleo* quam aprúgnum callum *cállet*.
Proín tute itidem ut *chármidatus*, rúsum [te] *dechármida*.

paregmenon: Pseud. 861; Capt. 32; Cas. II, 5, 34; Stat. com. 31; Mil. 400; Asin. 698; Amph. 998; Pseud. 669 sq.; polyptoton: Hec. 598:

Suum sí quid *sumet*, íd tu sinito *súmere*.
Nil prétio *parsit* fílio dum *párceret*.
Coníciam *sortis* ín sitellam et *sórtiar*.
Itanést in*memoris*, ítanest madida *mémoria*?
Ut ád id exemplum *sómnium* consímile *somniávit*.
Ne istúc nequiquam *díxeris* in mé tam indignum *díctum*.
Iam hic déludetur, *spéctatores*, vóbis in*spectántibus*.
Námque ipsa *Opportúnitas* non pótuit mi *opportúnius*.
'Advenire, quam haéc adlatast mi ópportune epístula.
Sic óptime, ut ego opínor, *omnis* caúsas praecidam *ómnibus*.

Rarius idem usus κατ' ἀρχὴν τῶν ἡμιστιχίων invenitur: Asin. 561; Capt. 456; Amph. (623 tripl. epanaph. κ. διπ.) 624:

Ubi *fidentem* fraudáveris, ubi ero *infidelis* fúeris.
*Sérv*ate istum súltis intus, *sérvi*, ne quoquám pedem.
(Vígilans vidi, vígilans nunc te vídeo, vigilans fábulor.)
Vígilantem ille mé iam dudum *vígilans* pugnis cóntudit.

κατ' ἀρχὴν τῶν διποδ.: Pers. 232:

Mílitia illa *mílitatur* múlto magis quam póndere.

Respondent autem aliquotiens hemistichiorum secundae arses: Poen. V, 4, 70 (parech.):

Atque équidem in*gen*uas, líberas, summóque *gen*ere gnátas.

vel finis revocatur ad initium: paregmenon: Ps. 562; Amph. 355; parechesis: Most. (1004.) 1005; Cas. I, 1, 45:

Suspíciost mihi núnc vos *suspicárier*.
Fámiliaris áccipiere fáxo hau *familiáriter*.

(Quia hódie adveni péregre. — Promisí foras:)
Ad *cénam* ne me té vocare *cén*seas.
Unde *aúscul*tare póssis, quom ego illam [de]*ósculer*.

3. κατ᾽ ὅλους στίχους: polyptoti haec exempla in promptu habeo:

κατ᾽ ἀρχὴν τῶν κώλων: Enn. tr. 92. 93; Capt. 814—16; Pseud. 134—38; Cat. LXIV, 19—21:

Hectórem curru quádriiugo raptárier,
Hectóris natum dé muro iactárier.
Qui ádvehuntur quádrupedanti crúcianti canthério,
Quórum odos subbásilicanos ómnis abigit ín forum:
Eís ego ora vérberabo súrpiculis piscáriis.
Quórum nunquam quícquam quoiquam vénit in mentem ut récte faciant.
Quíbus nisi ad hoc exémplum experior, nón potis usura úsurpari.
Néque homines magis ásinos unquam vídi: ita plagis cóstae callent:
Quós quom ferias tíbi plus noceas: éo enim ingenio hi súnt flagritribae,
Qui haéc habent consília: ubi data occásiost: rape clépe tene.
Túm *Thetidis* Peleus incensus fertur amore,
Túm *Thetis* humanos non despexit hymenaeos,
Túm *Thetidi* pater ipse iugandum Pelea sanxit.

κατὰ τέλος τῶν κώλων: Truc. 645—50; Lucr. V, 501. 502 (hoc cum parechesi in III. et V. ars.):

Rus máne dudum hinc íre me iussit *pater,*
Ut búbus glandem prándio deprómerem.
Post ílloc quam veni, ádvenit si deís placet
Ad víllam argentum meó qui debebát *patri,*
Qui ovís Taretinas érat mercatus dé *patre.*
Quaerít patrem: dico ésse in urbe, intérrogo . . .
Atque levissimus aerias super influit *auras*
Néc liquidum corpus turbantibus aeris *auris.*

Paregm. in in. anap. sept. Pseud. 947—49:

Lepidó victu vìno únguentis inter pócula pulpaméntis.
Lepida íbidem una aderit múlier tibi super sávia savia quaé det.[1])
— *Lepide* áccipis me. — Immo si écfexis, tum fáxo magis [id] dícas.

1) Ibidem una aderit mulíer lepida *libri;* Lepida íbidem una aderit múlier tibi *Fleckeisenus.* Ibid. u. a. m. lepida, t. savia suavia q. d. Lorenz.

Paron. in fine troch. sept. Pseud. 653. 54:

Séd quid est tibi nómen? — Harpax. — 'Apage te, *Harpax:* haú places.
Húc quidem hercle haud íbis intro, né quid *harpa[ge]féceris.*

Polyptoton in primo colo post caesuram: Pseud. 1013. 14; Phorm. 264. 65:

Salútem scriptam *dígnumst dignis* míttere:
Te si árbitrarem *dígnum,* misissém tibi.
Ecce aútem similia *ómnia: omnes* cóngruunt:
Unúm cognoris, *ómnis* noris. — Haúd itast.

Parison vero Hermogeneum (v. p. 26) eisdem normis tenetur atque homoeocatalecton κατὰ κῶλα.

In prioribus dipodiis: Truc. 824; Cist. IV, 2, 7. B.; Nov. com. 38; Heaut. 218. 372; Rud. 672:

Néque ut hinc ab*eam* néque ut hunc ad*eam* scío: timore tórpeo.
Quís eam abs*túlerit,* quís sus*tulerit,* ét utrum hac an illac íter institerit.
'O pesti*fera,* pórtenti*fera* trúx tolutiloquéntia.
Nam et có*gnoscendi* et íg*noscendi* dábitur peccatí locus.
In*vérsa* verba, *evérsas* cervicís tuas.
Ré*ppulit,* pró*pulit* pérquam indignís modis.

In VI. VIII. ped. troch. octon. Men. 589:

'Agere aut quicum [vólui] licitumst: íta me at*tinuit,* íta de*tinuit.*

Restant figurae *repetitionis.* Quas quoniam non solum inter se arctis definitionibus distinxi sed etiam segregavi a paronomasia, paregmeno, polyptoto, facile est emendare id quod Lachmannus *de variatione accentus in repetitione* monuit ad Propert. II, 3, 44, p. 111: ‚placet exempla quaedam producere huius repetitionis, qua boni poetae saepissime utuntur in repetitione, *ne idem vocabulum eodem accentu* eademque syllabarum quantitate *recurrat*'. Qua de lege dubitaverunt viri doctissimi Brix ad Mil. 4; Bugge, Philol. vol. 30, p. 636 sq.; Lorenz ibid. p. 594 sq. Sed certe aliquid veri in se habet illud Lachmanni: quamquam non omnino valet. Non enim pertinet haec elegantia ad paregmenon neque ad polyptoton neque *ad paronomasiae eam* rationem, quae in repetitione eiusdem verbi *mutato sensu consistit,* neque ad epanaphoram, neque ad antistrophen,

[redacted]

neque ad symplocen, neque ad epanastrophen κατὰ κῶλα [1]), neque ad epanalepsin [2]), sed tantum cernitur in *epizeuxi* et *anadiplosi*.

Epizeuxeos autem sollemnis usus est in initio versuum: atque ut accentus in repetitione varietur adeo student poetae, ut quotiens verba in trochaicis iambicisque versibus trochaeum aequant, alterum vocabulum ab altero brevi vocula interiecta secernant.

Sine interiectione Curc. 166; Asin. 229; Aul. 655:

Pálinure, Palinúre. — Eloquere quíd est quod Palinurúm vocas.
Máne, mane audi: díc quid me aequom cénses pro illa tíbi dare.
Máne, mane: quis illést, qui hic intus álter erat tecúm semul?

Brevi vocula interiecta Pseud. 132; Trin. 870. 1174:

'*Exite,* agite, *exíte* ignavi, mále habiti et male cónciliati.
'*Aperite,* hoc *aperíte,* heus ecquis his fóribus tutelám gerit?
'*Aperite,* hoc *aperíte* propere et Lésbonicum sí domist. [3])

Anadiplosis, repetitio eiusdem verbi sine impetu pronunciationis, in quavis parte versuum conlocatur. Aul. 373—76; Pseud. 25. 26:

Venio ád macellum rógito pisces. índicant
Carós; agninam cáram, caram búbulam,
Vitulínam, cetum, pórcinam, *cara* ómnia:
Atque eó fuerunt *cáriora,* aes nón erat.
Cur ínclementer dícis *lepidis* lítteris,
Lepidís tabellis, *lépida* conscriptís manu?

§ 21. Peculiaris quaestio est de similium figurarum aetatibus temporibusque. At hoc non huius disputationis est. Quaerendum autem

---

1) Verg. X, 180 sq. laudat. a Char. p. 281, 11; Diom. p. 445, 7; Don. p. 398, 1; Pomp. p. 302, 26; Cl. Sac. p. 458, 4:

Úrbs Etrusca solo. sequitur pulcherrimus *Astur,*
Astur equo fidens et versicoloribus armis.

2) ex inc. inc. tr. 214. R.; Char. p. 281, 20; Diom. p. 445, 29:

Páter inquam, hospités, pater me lúmine orbavít, *pater.*

cf. Aul. 198; Pseud. 860:

'*Altera* manú fert lapidem, pánem ostentat *áltera.*
Manum sí protollet, páriter profertó *manum.*

3) Pseud. 1284 non solum Bothiana transpositione opus est *adesse me* pro *me adesse* sed etiam alia:

'Aperite, heus, aperíte, Simoni ádesse me quis núntiate.

aperite, aperite heus *libri.*

esset non modo quam frequentiam in similium usu singuli poetae consecuti essent, verum etiam quoad apud singulos conlocationis leges valerent. Nec solum poetae sed etiam oratores, historici, philosophi essent examinandi, nec omittenda essent rhetorum grammaticorumque testimonia quae in laudatione aut in vituperatione figurarum quarundam versantur. Nam ex his manat, quae figurae tum viguerint quaeque obsoleverint. Cornificius quidem IV, 12, 18, p. 142, 4 multiplicis homoeoarcti usum respuit: ‚si vitabimus eiusdem litterae nimiam assiduitatem: cui vitio versus hic erit exemplo — nam hic nihil prohibet in vitiis alienis exemplis uti: O Tite tute Tati etqs.' Servius ad Verg. Aen. III, 183 etiam triplicis homoeoarcti usum reprehendit: ‚casus Cassandra canebat'. Haec compositio iam vitiosa est quae maioribus placuit'. cf. Mart. Cap. p. 474, 16. H. Epanastrophe κ. συλλαβὴν vituperatur a Quintiliano IX, 4, 41, p. 177, 8 et a C. Jul. Victore p. 433, 6; atque hic etiam homoeoptota et homoeoteleuta aspernatur p. 433, 4. Contra Cicero similium usum multifariam laudat ut or. XII, 38, de or. III, 206 al. Praeterea apud veteres multa testimonia extant quae omnia adferre longum est.

Interim de *homoeoarcto* nonnulla addam. Vehementer errat qui putat, quo antiquiora fuerint tempora eo insigniorem fuisse homoeoarcti usum. Haec enim figura exilia primordia habet in indole populi Romani, copiose aucta est arte poetarum, quae ex impulsu externo atque Graeco fluxit; decrevit, cum posteritas ‚nimiam assiduitatem' eiusdem litterae fastidiret. Cernitur autem in natura populi Romani studium quoddam pleonasmi atque eius pleonasmi, qui in verbis ab eadem stirpe derivatis consistit aut in verbis quamquam variatis stirpibus tamen sensu similibus, quae homoeoarcto firmius inter se coniunguntur. Illius sunt varia genera figurae etymologicae, in primis id genus quod substantivo et verbo continetur ut XII tab. 12, 3. S. noxiam nocere. Huius unum genus, quod paregmenon κατὰ διάνοιαν dici potest, est id, quo verba sensu similia deficiente stirpium cognatione homoeoarcto conglutinantur, ut in precibus agri lustrandi apud Cat. de r. r. 141 salvum servare. Alterum genus ad verba synonyma coordinatim inter se coniuncta atque homoeoarcto in formulae speciem redacta pertinet. Ut apud Catonem l. l. viduertatem vastitudinemque, fruges frumenta, vineta virgultaque; XII t. 5, 7. S. adgnatum gentiliumque; in formula vetusta *qua bellum indicitur* apud Liv. I, 32, 13, censit, consensit,

[redacted]

conscivit. Vel si verba non plane synonyma sunt, tamen aliquo modo confinia sunt inter se: ut apud Cat. l. l. pastores pecuaque; in carmine augurali apud Varronem de l. l. VIII, 8, templa tescaque (ter posita), conregione conspicione cortumione; XII t. 8, 14. S. lance et licio, ib. 8, 22, inprobus intestabilisque; in Decii devotione apud Liv. VIII, 9, 7, vim victoriamque; formula Praetoriana apud Varr. d. l. l. VI, 30, dat, dicit, addicit.[1]) Hic igitur est homoeoarcti usus ante Livium Andronicum. Atque quis est qui dicat quot eius modi formulae in populo Romano tum fuerint pervulgata, cum Livius primus elocutionis suae elegantiorem ornatum a Graecorum arte rhetorica repetivit. Certe constat Livium Naevium Plautum Ennium inter has formulas non constitisse, sed similibus figuris multimodis excultis opera extruxisse, quae quam concinna essent exponere conatus sum. Conformabant autem non solum multiplicia homoeoarcta, verum etiam congregabant cum homoeoarcto multifariam vel parechesin vel paronomasiam vel paregmenon vel polyptoton; atque in eodem versu iuxta homoeoarcton saepius ponebant homoeocatalecton. Per Plautum Enniumque homoeoarcton summum floris culmen consecutum est: iam in usu temperaverunt Terentius et Pacuvius. Licet fortasse de analogia cogitare quae est inter primum similium usum in arte oratoria apud Graecos et paromoeoseos κατὰ μέρος λόγου primum usum apud veteres Romanorum poetas scaenicos: nam ille et hic usus cum primus receptus esset, subito ac vehementer accrevit, mox cum apud multos offenderet, paulatim decrevit, sed nunquam plane obsolevit. Usus quidem homoeoarcti per omnes Romanarum litterarum aetates aliquo modo permanebat ac praecipue formulae Woelfflinianae etiam posterioribus temporibus usitatae erant. Quid? quod eo tempore, cum homines antiquitatis studio incensi antiquum sermonem adfectabant, Hadriani aetate, cum paregmeni tum homoeoarcti usus denuo cepit incrementum? cf. Apuleius[2]), Metam. V, 1, p. 79. E.: *vi*det fontem *vi*treo *la*tice per*luci*dum *medio luci medi*tullio.

---

1) Etiam quae in tab. iguv. homoeoarcta inveniuntur ea forma sunt: tab. VI, b. 60. H. tursitu tremitu, hondu heltu, ninctu nepitu, sonitu savitu, proplotatu previlatu. cf. Grotefend, Pauly's Realenc. s. v. Iguvium vol. IV, p. 100.

2) cf. Erdmann, ‚de Apulei elocutione'.

Contra paromoeoseos κατὰ κῶλα usus fere non mutavit usque ad aetatem Caesaris Augusti; quem ad modum postea excultus sit Guil. Grimmius, S.-B. d. Berl. Ak. 1851, p. 627 sqq., fusius explanavit.

§ 22. Iam vero paucis significabo, quantum similium is quem agnovi usus ad emendationem textus Plautini valeat.

Ac si quidem *dittographiae* indagatae sunt neque satis constat, quae lectio Plautina sit quaeque postea retractata, similia quae in alterutra parte posita sunt, aliquantum nos adducunt, ut hanc partem Plautinam habeamus. Ut Stich. 473—82:

Promítte. — Certumst. — Síc face, inquam. — Cérta rest.
— Lubénte me hercle fácies. — Idem ego istúc scio:
Quando úsus veniet, fiet. — Nunc ergo úsus est. —
Non édepol possum. — Quíd gravare? cénseas.
Nescío quid † vero habeo in mundo. — 'I modo[1]),
Aliúm convivam quaérita tibi in húnc diem.

Quin tú promittis? — Nón graver si póssiem.
— Unúm quidem hercle *cérte* promittó tibi:
Lubéns accipiam *cérto*, si promíseris. —
Valeás. — Certumnest? — *Cértumst:* cenabó domi.

Qua de dittographia Goetz act. soc. phil. Lips. VI, p. 256: ‚Welche Fassung die echte ist, lässt sich schwer bestimmen; für die später aufgenommene halte ich nach Analogie der übrigen Fälle die zweite, ohne damit strict behaupten zu wollen, dass sie unplautinisch sei'. Sed ipsa altera lectio dignior est quae Plautina habeatur; nam in hac conspicimus lusionem verborum *certe, certo, certumst* in tertia arsi conlocatorum homoeoarcto in tertio versu accedente. Porro eiusdem fabulae versuum 115 sqq. ut ceteros omittam vv. 120—122. Plautini esse videntur. (cf. Goetz l. l. p. 262 sqq.)

'Ex malis multís *malum* quod mínumumst id minumést *malum.*
[antistr. κ. ἡμ.]

Quí pote mulierés vitare, is vítet: ut cot*ídie*
Prídie caveát, ne faciat, quód pigeat postr*ídie.* [homoeot. κ. ὅλ. στ.]

---

1) quid vero habeo *libri;* quid opipari habeo *Ritschl*; quid verborum habeo *Spengel*, *Phil. 28*, *p. 730*; quid verod habeo *et mox* mundod *Buth de abl. p. 14;* quid rerum vero habeo *Brix*, *Hirschb. Progr. 1854*, *p. 18.*

[redacted]

Nec Poen. act. IV, quoniam aut vv. 95—100 aut 101—107 retractatori dare opus est, vv. 104. 105 duplici homoeocatalecto κ. κῶλα et ante caesuram et in fine distincti nullo modo a Plauto abiudicari possunt (cf. Goetz l. l. p. 253):

Nám et hoc docte cónsul*endum*, quód modo concrédit*um*st,
'Et illud autem insérvi*endum*st cónsilium vernacul*um*.

De Curc. vv. 288 sqq. iam p. 83 adnotavi. In Bacchidibus onsentio cum Brachmanno De Bacch. Pl. retr. sc. p. 135 versus 361. 62. Plautinos habente.

Credo hércle adveniens nómen mutabít mihi
Faciétque extemplo Crúcisalum me ex Chrúsalo;

reicio autem quod idem p. 136 de vv. 241. 242. et 239. 40. qui dittographiae signa ostendunt:

241. Adíbo hunc, quem quidem ego hódie faciam hic árietem
Phrixi: íta detondebo aúro usque ad vivám cutem.
239. Extéxam ego illum púlcre iam, si dí volunt.
Hau dórmitandumst: ópus est chruso Chrúsalo.

‚De priore ortu iterum difficilis quaestio. Quodsi supra recte versus 361 sq. ut Plautinos littera A notavimus, *verisimilius hoc loco retractatorem nominis Chrysali veriloquio ludere.*' Non enim intellego, cur Plautus eodem nomine bis lusisse negandus sit; ac ‚faciet . . *Crúcisalum* me ex *Crúsalo*' et ‚ópus est *cruso Crúsalo*', bellae paronomasiae sunt, quarum utraque proprias in se habet argutias. Omnino autem Plautus non abhorruit a renovatione paronomasiae alicuius; ut in ead. fab. 53. 371:

Quí amabo? — Quia *Bácchis, Bacchas* métuo et *bacchanál* tuom.
Bácchides non *Bácchides,* sed *Bácchae* sunt acérrumae.

Quos versus Brachmannus una cum vv. 372. 471 tractans haec monet p. 126: Quodsi inde posterioribus illis versibus (372 conl. 471) praesidium paratum est, ne in priorum quidem propinquitate offendendum, cum appareat Pistoclerum in prima scaena proferre quae a Lydo dictitata teneat.' At si huic repetitioni venia datur, eo magis danda est illi alteri, qnae tantum ad Crusali nomen pertineat: argutiae, quae alterutra moventur, inter se diversissimae sunt. Praeterea in eadem fabula etiam Ludi nomen bis in adlusionem vocatur, v. 129 in paron. v. 168 in homoeoarct.:

Non ómnis aetas, *Lúde, ludo* cónvenit.
Istáctenus tibi, *L*úde, *l*ibertás datast.[1])

Minime porro Brachmanno meo concedam Bacch. vv. 540—61 retractationis signa etiam certiora habere a similium nimio usu ac praecipue a nimia antitheseos adfectatione p. 90: ‚Equidem vero cur cum Studemundo retractatori illos versus tribuam, ne rem peractam retractare videar, non exponam: unum tamen, quod ille omisit, a nostra re non alienum videtur. Conspicitur enim cura imitatoris illius Plautina facilitate artificiosior in eo, *quod elegantiam quandam adfectavit verbis per oppositionem prolatis, cuius figurae cumulata in paucis versibus exempla haec habes: falsi falsimoniis* etqs.' Non meum est quaerere cuius sint hi versus: certe unius atque eiusdem figurae in versibus continuis crebrior usus Plautinae arti non repugnat. De homoeoarcti quidem eiusmodi exemplis iam supra nonnusquam memoravi; Aul. 508—522 homoeocatalecti exemplum sexiens deciens partiti[2]) habemus; atque quamvis consentias cum Goetzio, qui ad v. 505: ‚ad versus sequentes plures variorum temporum homines contribuisse videntur', tamen non minimam partem ad ipsum Plauti ingenium revocandam esse tibi concedendum erit, si alia consideraveris. De Pers. vv. 757—62, qui paregmeno κατὰ κῶλα abundantes in tribus posterioribus versibus etiam alia verba ex eodem figuratu adsumpta habent, adhuc nisi fallor nemo dubitavit:

Nunc ób eam rem inter *párticipes* dividám praedam et *partícipabo.*
'Ite foras: híc volo ante óstium et iánuam
Meos párti*cipes* bene ac*cípe*re.
Státuite hic léctulos: pónite hic quae ádsolent:
Hic *státui* volo primum áquolam.
'Inde ego omnis hilarós lubentis laétificantes fáciam ut *fiant,*
Quórum opera haec mihi fácilia *factu* fácta sunt quae vólui ec*fieri:*
Nam ínprobust homo, quí bene*ficium* scít accipere et réddere nescit.

1) Haesito in Mil. vv. 289. 330:

Néscio quo adulescénte. — Quod ego *Scéledre*, *scelus* ex te aúdio?
Quín domi eccam: néscio quae te, *Scéledre*, *scelera* *sús*citant.

Ribbeck v. 330 ut ad v. 289 exemplum factum in margine posuit. Nescio an uterque Plautinus sit: certe v. 330 non imitatoris est. An imitatorem homoeoarcton in clausula addidisse putas?

2) *omisso versu 612,* quem Goetzius cum Guyeto seclusit.

[redacted]

Capt. act. IV. sc. 2. specta quam lepide parasitus in antithesibus versetur. Cuius scaenae in fine homoeoarcta, paronomasiae, paregmena, parecheses cumulata sunt.

Antitheseos continuatae exemplum praeclarum extat Trin. vv. 199 sqq. Quodsi ex his versibus eos eiecerimus, quos homines docti atheteseos nota significaverunt, tamen complures restabunt, qui quam eleganter in antithesi versantur, digni sunt comparatione cum Bacch. vv. 540 sqq.

Plautina ars enitet etiam ex Amph. act. II. sc. 2; quamvis haec scaena praeter ceteras duplicis vel triplicis retractationis aperta vestigia prae se ferat. Vv. 800 sqq. F. Plautini esse videntur. Nam fieri non potuit, quin Amphitruo percunctaretur, quae ille alter Amphitruo gessisset. Atque huic interrogationi arcte coniunctae sunt controversiae Amphitruonis Alcumenaeque per stichomythian procedentes 812 sqq. Excipiente autem altero alterius singula verba oppositus paregmeno aliquotiens etiam acrior redditur:

'Opsecro ecastór, quor istuc, mí *vir*, ex ted aúdio? —
Vír ego tuus sim? né me appella, *fálsa, falso* nómine. —
Quíd ego feci, qua ístaec propter *dícta dicantúr* mihi? —
Tûte, *edictas* fácta tua: ex me quaéris, quid *delíqueris?* —
Quíd ego tibi *delíqui,* si quoi núpta sum *tecúm fui?*
Tûn *mecum fuerís?* quid illac *ínpudenti* audáciust?
Sáltem, tuipte sí pudoris égeas, sumas mûtuom. —
'Istuc facinus, quód tu insimulas, nóstro generi nón decet.
Tû si me *inpudícitai cáptas, capere* nón potes. —

Ergo quoniam non contradico, ne quis aliis de causis Bacch. vv. 540—551 a ceterorum versuum contextu seponat, maxime obsistam, quin antitheseon artificiosior usus retractationis signum putetur. Quid? quod multis locis vere Plautinis manifesta concinnitas et quasi symmetria [1]) cognoscitur? Cuius rei et infra exempla producam et nunc exhibebo Pseud. act. II, 1 [2]) cantici initium; in

814. Haéret haec res, sí quidem haec iam múlier factast éx viro.

1) Non adsentior expositioni R. Klotzii ,Allitt. u. Symmetrie bei T. M. Pl.' sed concinnitatem in aliis quibusdam rebus habeo; ceterum K. mutatis modis canticis abstinuit.

2) 576 troch. Ritschelius discr. 577. 578 in unum septenarium troch. contraxit. item ex vv. 580. 81 troch. sept. fecit, 583. 86 troch. octon. habet. Lorenzius v. 576 altero hemistichio deleto conglutinavit 576 et 577. In cod. *B vv. 577. 78. 79* in unum coacti sunt itemque vv. 580. 81. 82.

7*

primo autem versu argumentum positum est quod in sequentibus undecim versibus variatur:

Pro Iúppiter, ut mihi, quícquid ago, lepide ómnia prospereque éveniunt.
Neque quód dubitem, *neque quód* timeam: in péctore *con*ditum *cón*siliumst.
Nam ea stúltitiast, *magnúm facinus*
Tímido cordi crédere.
Nam ómnes res perínde sunt,
Ut agás, ut eas *magní facias.*
Nám ego ita in meo péctore
Príus paravi cópias,
Duplicís triplicis dolos pérfidias, ut, cum hóstibus ubi ubi cóngrediar —
Maiórum meúm fretus vírtute dicam,
Mea índustria ét malitiá fraudulénta —
Facile út vincam, *facile út* spoliem meos *pér*duellis meis *pér*fidiis.

In coniunctione sunt vv. 576 et 586 plane pares inter se et antistrophe κ. διποδ. et homoeoarcto in altero hemistichio distincti; quibus novem versus concluduntur inter se respondentes: 577 = 580; 578 = 579; 581 = 582; 584 = 585; 583 = 583. Responsionis igitur schema hoc est:

575. || 576. | 577. 578. 579. 580. | 581. 582. 583. 584. 585. | 586. ||

Omnino igitur quaestio dittographiarum, interpolationum, retractationum a paribus similibusque figuris hac lege tenetur: ne apertae dittographiae eam partem reiciamus, quae paromoeosi vel alia figura praeclare distincta sit, retineamus alteram, quae figuris illis vacet; ne divellamus versus qui paromoeosi κατὰ κῶλα conglutinati sint; ne offendamus in versibus hac illave figura artificiosius exornatis.

Deinceps monendum est *ne paromoeoseos specimina nostra emendatione diruamus.*

Ut Pseud. 583. R. ne Ritschelianos trochaeos probemus:

Fácile ut vincam, fácile ut spoliem meós perduellis meís [dolis].

ipso homoeoarcto prohibemur, quod in libris legitur: meos *per*duellis meis *per*fidiis. Repetitio autem v. 583 perfidias, nostro v. perfi-

[redacted]

diis, quoniam duo versus extra sententiam inter verborum contextum interiecti sunt, nihil offensionis habet. Confer etiam quod Ribbeckius de Buecheleri ad Acc. v. 10 coniectura:

Clássis trahere in sálum et [habenas] véntorum animae inmíttere.

coroll. p. XLIX: ‚Certe *vela ventorum* adlitteratio ne utiquam expelli debet'.[1])

Ratione autem non mediocri parium similiumque figurarum habita adducimur, ut versus conruptos aut (I) additamento aut (II) transpositione emendatiores reddamus; in canticis, ut cognoscamus (III), utrum trochaeos an iambos an anapaestos Plautus posuerit, ut (IV) ab ipsis similibus ordinem descriptionemque versuum repetamus.

(I) *Additamento* sanatur Asin. v. 347, qui in libris et apud Fleckeisenum cum hiatu in fine quarti pedis legitur:

'Ait se ob asinos férre argentum átriensi Saúreae.

apud Goetzium et Loewium, quibus hiatus non placuit, ordine verborum mutato:

'Ait ob asinos sé ferre argentum átriensi Saúreae.

Mueller Pl. Pros. p. 545: ‚Es muss wohl das lebhafte Bedürfniss nach einem Hiatus gewesen sein, das den Dichter verhindert hat, die sonst gebräuchlichere Präposition [pro], die er auch selbst v. 337 und 339 angewendet hat, zu wählen (pró asinis ferre árgent.), oder auch se hinter ferre zu stellen oder sese zu gebrauchen, von der Möglichkeit, āit zu lesen, abgesehen'. Immo non hiatum captavit Plautus, sed homoeoarcton quincuplex; lectio integra autem haec fuit:

'*A*it se ob *a*sinos *á*dferre *a*rgentum *á*triensi Saúreae.

Pers. 705, quoniam initium librorum consensu constat, incerta est emendatio posterioris hemistichii. Habent autem *numquam eripi* B. C. D. F. Z.; NUMQUAME xx · PIDESEMELB — A. Editores alii aliter restituerunt: *Numquameripidespostea* Bothius; *numquam postea eripides* Pylades et iunctim Camerarius; Ritschelius vero in adnotatione: ‚Vix placebit *Numquameripisibisinides*, fortasse *Numquam-*

---

1) Neque Amph. 180. Fl.: Sum véro vere, vérbero: nam *número* mi in mentém venit. ubi in Palatinis *nunc vero* legitur, parechosis dirimenda est; accedit quod *numero* adverbii significatio non quadrat in sententiam cf. Ribbeck, coroll. trag. p. XVI. Probabilis est Ribbeckii coniectura: *num verbo*.

posthaeredhibides vel *Numquamcuiquamredhibides*'. Unus recte Guyetus restituit cuius lectionem etiam Ritschelius in textum recepit: *Numquampostreddonides*. Nam hoc quadrat in homoeocatalecton versuum antecedentium:

702. Vanílaquidorus Vírgines vend*ónides*
Nugípalamloquides 'Argentumexterebr*ónides*
Tedígniloquides Númmos expalp*ónides*
Quodsémelarripides Númquampostredd*ónides*.

(II) *Transpositionis* exemplum est Asin. 552. Fleckeisenus cum olim Phil. t. 2, 1847, p. 71, *nisi huc argenti mi* transposuisset, postea in editione hiatu ante caesuram probato librorum lectionem exhibuit:

Núnc adeo nisi mi húc argenti ádfert vigintí minas.

Loewius Goetzius autem ‚frequenti apud Plautum usu ducti' posuerunt:

Núnc adeo nisi mi húc argenti *dé*fert vigintí minas.

cui mutationi impedimento est sermo Plautinus. Nam nusquam invenies *de*ferre in rebus *ad*portandis adhibitum. Probanda est alia transpositio, de qua Fleckeisenus l. l. adn. 4. cogitat:

Núnc adeo nisi míhi viginti huc *á*dfert *a*rgentí minas.

Ac ne quis de homoeoarcto dubitet: homoeoarcton per se non satis apertum similibus finitimorum versuum in lucem protrahitur. 523. (homoeoarct. et homoeotel.), 525. (pareches.), 526. (antistr. κ. ἡμιστ.), 527. (homoeoarct. brevibus comm. inter se respondentibus in antithesi), 533. (homoeoarct.) quem quoniam cum v. 532 homoeocatalecto κ. κῶλα coniunctus est una cum illo adpono:

*Cón*pell*are* aut *cón*trect*are* *cón*loqu*i*ve aut *cón*tu*i*?
Vérba blanda esse aúrum rere, *dícta docta* pró *d*atis?
'*Ultro* amas, ultro éxpetessis, *últro* ad te arcessí iubes.
'Illos qui *d*ant, eós *d*erides: quí *d*eludunt, *dé*peris.
Núnc adeo nisi míhi viginti huc *á*dfert *a*rgentí min*as*,
Né ille ecastor hínc trudetur *lá*rgus *la*crumarúm for*as*.

Naev. 48. quod si Ribbeckius octonarii trochaici frustum in textum recepit:

. . . ut vídeam Volcani ópera haec flammis fíeri flora.

cum poetae verba similiora in prima et secunda post caesuram ar-

[redacted]

sibus conlocaverint, probabimus eiusdem aliam coniecturam coroll. XIV.:

Hánc ut videam Vólcani ópera *fl*ámmis *fl*ora fíeri.

(III) In canticis porro si in dubio est, utrum trochaeos an anapaestos, trochaeos an iambos, anapaestos an bacchios, anapaestos an creticos Plautus posuerit, similium usus maximo est momento.

Pers. 753 Ritschelius trochaicum octonarium fecit [1]):

Hóstibus victis, cívibus salvis, ré placida, pacíbus perfectis.

Ut omittam dactylos falsos, specta homoeocatalecton κ. ἀρχὴν et κ. τέλος primae et secundae dipod. et triplex homoeoarcton (parech.) in thesibus latentia; restituo igitur anapaesticum octonarium cum Muellero Pros. p. 99, Spengelio, Reformvorschl. p. 156:

Host*ibus* vict*is*, civ*ibus* salv*is*, re *plác*ida, *pac*ibus *pé*rfectis.

Accedit quod pacem *per*ficere homoeoarcti causa Plautus posuisse videtur: nam auctore Langenio, Beitr. p. 106, Plautus aliis locis pacem *facere* usitatum habet.

De Pseud. 575. 583. R.:

Néque quod dubitem, néque quod timeam, in péctore conditúmst consilium.
Fácile ut vincam, fácile ut spoliem meós perduellis meís dolis. [2])

iam supra memoravi; anapaestici restituendi sunt:

Neque quód dubitem, neque quód timeam, in péctore *con*ditumst *cón*silium. [3])
Facile út vincam, facile út spoliem meos *pér*duellis meis *pér*fidiis.

Trin. 251 sq. aqud Ritschelium sic leguntur:

Véstiplica, unctor, aúri custos, flábelliferae, sándaligerulae,
Cántrices, cistéllatrices, núnti renúntii.

Malim dimetros anapaesticos [4]), ut homoeoptoton in arsibus extet:

Vestíplica, unctor, aurí custos,
Flabéllifer*ae*, sandáligerul*ae*,
Cantríces, cistellátrices.

---

1) Idem Buecheler, Mus. Rh. XV, p. 444 trochaicum octonarium instituit.
2) meis perfidiis *libri*; meis dolis *Ritschl.*
3) *an* conditum cónsiliumst? *sic quidem Fleckeisenus.*
4) a Spengelio, Reformvorschl. p. 183 propositos.

Pseud. 1261. 62. R.:

Úbi mamma mammícula opprimitur, aút si lubet corpóra conduplicant,
Manú candidá cantharúm [tum] dulcíferum.

versus 1261 dudum anapaesticus agnitus a Lorenzio in editione probatus est; sed etiam v. 1262 numeri anapaestici ne utiquam depellendi sunt[1]):

Ubi *mámma mamicula* ópprimitur, aut sí lubet *c*orpora *có*nduplicant,
Manu *cán*dida *can*tharum dúlciferum.

De anapaesticis autem versibus haud quaquam cogitari potest Pers. 760 sq.; Pseud. 913; Trin. 265. 287.

Pers. 760 Mueller, Pl. Pros. p. 99, anapaesticos octonarios restituit:

Inde égo omnis hilaros lúdentis laetíficantis faciam út fiant,
Quorum ópera mihi facilía factu facta haéc sunt, quae volui écfieri.

Retineo trochaeos Ritschelianos:

'Inde ego omnis hilarós lubentis[2]) laetificantis *fáciam* ut *fiant,*
Quórum opera haec mihi *fácilia factu fácta* sunt quae vólui ec*fieri.*

Pseud. 913. R. anapaesti etiam a Lorenzio probati sunt[3]):

Fuit meum ófficium, ut facerém, fateor. — Ubi réstiteras? — Ubi míhi lubitumst.

Ex homoeoarcto cum paregmeno coniuncto versum trochaicum cognitum habeo; sed nescio an octonarius in duos quaternarios dispescendus sit, quales in A descripti sunt:

*F*úit mi o*fficium* ut *fácerem fa*teor. —
Úbi restiteras? — Úbi mi lubitumst.

Trin. 265. 287 anapaesti a Muellero Pl. Pros. p. 113 et a Spengelio nescio quo loco positi sunt:

Nam qui ín amorem praecípitavit, peius périt quam si saxó saliat.
Haec égo doleo haec sunt quae éxcruciant, haec diés noctes canto út caveas.

---

1) *1262 cum 1263 a Muellero Pl. Pros. p. 200 in unum anapaest. oct. contractus est.*

2) ludentis *libri;* lubentis *Gulielmus Veris. I, 8, Dousa; quos Ritschelius secutus est.*

3) cf. Spengel p. 191.

[redacted]

Trochaei a Ritschelio constituti homoeoarcto confirmantur:

Nám qui amorem praécipitavit, péius perit quasi *sá*xo *sa*liat.
Haéc ego doleo, haec haéc[1]) me excruciant, haéc dies noctes *cá*nto
ut *ca*veas.

VV. 290. 91. 92. vero, quos trochaeos habet Ritschelius:

Lácrumas mi haec quom vídeo eliciunt, quía ego ad hoc genus
dúravi hominum.
Quín prius me ad plurís penetravi?
Nam hí mores maiorum laudant, eósdem lutitant quós conlaudant.

quoniam apertum est verba non licere transponi, ne homoeoteleuton κ. ἡμιστίχια: *duravi penetravi* deleatur — in libris enim est *hominum duravi* — a codicis Ambrosiani descriptione proficiscens v. 290 partem posteriorem et v. 291 in unum atque triplicis homoeoarcti causa in anapaesticum octonarium redegi. cf. Spengel p. 179, Studemund de cant. Pl. p. 7; in v. 292 autem Spengelium et Studemundum non sequor, sed retineo trochaeos Ritschelianos labdacismo munitos:

Lacrumás mi haec quom video éliciunt,
Quia ad hóc genus hominum dúravi: quin *p*ríus me ad *p*luris
*p*énetravi?
Nam hí mores maiórum laudant, eósdem *l*utitant quós con*l*audant.

Rursum Trin. 285. ubi Fleckeisenus et Brixius iambos constituerunt:

Turbánt, miscent morés mali, rapáx, avarus, ínvidus.

Ritschelii trochaei elegantiores homoeoarcto firmantur:

Túrbant, *m*iscent *m*óres *m*ali rapáx, avarus, ínvidus.

V. 240, quem in libris in tres versiculos divulsos habes:

(in B.:) Cuppes avarus eligans despoliator
Latebri colarum hominũ corruptor.
Blandus inopscelatũ indagator.

caveas oportet ne triplex homoeocatalecton κ. κῶλα diruas. Bacchiacos quidem Ritschelius constituit:

— — cúppes,
Despóliator, látebricolarum hóminum corrúmptor,
Celátum indagátor.

---

1) haec sunt quae me excruciant *libri;* haec haec *duplicavi*, *non solum, ut epanaphora* κ. διποδίας *efferretur*, *sed etiam quod* haec sunt quae *displicuerunt. cf. L. Spengel, Phil. XVII, p. 565.*

Cum Brixio anapaesticos pono dimetros:

Cuppés, avarus, despóli*ator,*
Latebrícolarum hominum córrup*tor,*
Blandús celatum indág*ator.*[1])

Merc. 339. 340. R.:

Ita mi [éx improvíso] mala rés aliqua obícitur,
Bonúm quae meúm conprimít [mihi] consílium.

anapaestici dimetri a Spengelio, Reformvors. p. 279, propositi ab homoeoarcto commendationem habent:

Ita mí mala res aliqua óbicitur,
Bonum quaé meum *con*primit *cón*silium.

Item Cist. I, 1, 37. quem Bothe ‚asynart. bacch. dim. iamb. hyperc.' habet:

Aquam frígidam *sub*dole *súb*fundunt.

Nullo modo autem ferendi sunt Spengelii anapaesti Trin. 243 (Ref. p. 59):

Ilíco res foras labítur liquitur.

sed retinendi sunt cretici Ritscheliani:

'Ilico rés foras *lábitur líquitur.*

(IV) Iam tribus exemplis explanabo, quae similium figurarum ratio habenda sit in canticorum maioribus partibus. Ac primum specimen ex Bacch. act. IV, 4, 1 sqq. *Chrysali soliloquio* repetivi:

1\. 640. R. Húnc hominem decet aúro expendi: huic *státuam statui* décet ex auro. [paregmenon κ. μέρος λόγου.]
Nám duplum hodie fácinus *feci,* dúplicibus spoliís sum ad*fectus.* [paregmenon κ. ἡμιστίχια.]
'Erum maiorem méum ita ego hodie *lú*si *l*epide, ut *lú*dificatust. [paregmenon κ. ἀρχ. τ. διπ. c. homoeoarcto.]

---

1) *alios vers. anap. constituit Studem. d. c. Pl. p. 58.* latebricola honestum corruptor *coniecit Ribbeckius Mus. Rh. XXVII, p. 177.*

1\. 640. R. statuam statui decet *Hermannus;* decet statuam statui *libri.*
2\. 641. duplum *Brix. Quaest. p. 43;* duplex *libri; 640 et 641 anapaesticos octonarios Mueller p. 95 restituit:*

Hunc hóminem decet auro éxpendi, huic décet statuam statui éx auro.
Nam dúplex hodie facinús feci, duplicíbus spoliis iam sum ádfectus.

[redacted]

Cállidum senem *cállidis* dolis [polyptoton κ. ἀρχ. τ. ἡμιστ.]
Cón*puli* et pér*puli*, mi ómnia ut créderet. [parison Hermog.]
Núnc amanti ero, fílio senis,
Quicum égo bib*o*, quicum édo et am*o*, [epanaphora et homoeotel. κ. ἡμιστ.]
Rég*ias* cópi*as* aúre*as*que óbtuli, [homoeoptoton κ. μέρος λ.]
Út domo súm*eret* neú foris quaér*eret*. [homoeotel. κ. ἡμιστ.]
Nón mihi istí placent Parmenonés, Suri,
Quí du*as* trís min*as* aúferunt eris. [homoeopt. κ. μέρος λ.]
Néquius níl quam eg*ens* cónsili servos est [homoeotel. κ. ὅλ. στιχ.]
Nísi is habet múltipot*ens* *péctus*, ut cópias, [polypt.
Úbicunque usús siet, *péctore* promát suo. κ. κῶλα]
Nullús frugi esse potést homo,
Nisi qui ét bene facere et male tenet:
'Improbus sit cum ínprobis, [parisosis κ. κῶλα]
Hárpaget cum fúribus,
Quód queat.
Vórsipellem esse cónven*it* [homoeoteleuton
Hóminem, pectus quoí sap*it* κ. κῶλα.]

---

7. 646. Quícum ego bibo, quícum edo — et amo. *Hermannus elem. doctr. metr. p. 220.*

Monometros Spengel, Reformvorschl. p. 292 posuit:

Quicum égo bibo ‖ Quicum édo et amo.

6 et 7, 8 et 9 *vetus codex in unum versum conscriptos habet.*

12. 651. Nequius nihil est *libri. Quod retinens Hermannus elem. p. 220 hos versiculos disposuit:* néquius nihil ‖ ést quam egens cónsili sérvos nisi habeat ‖ múltipotens péctus; ‖ úbicumque usús sit ‖ péctore exprómat ‖. *In editione autem alterum creticum alterum anapaesticum descripsit:*

Néquius níl quam egens cónsili sérvos est,
Nisi habét multipotens péctus, ut, ubicumque úsust pectore suo éxpromat.

15. 654. Nullus frugi esse potest homo *libri*; Núllus frugi ésse homo × × × potest *Ritschl.*

18. 657. arpaget furibus furetur *libri;* furetur *eiecit Hermannus.*

20. 658. Versipellem frugi convenit esse hominem *libri.* frugi *delevit Bothius, retinuit Herm. l. l.*

19—21. *cretic. tettr. et troch. tripod. Ritschelius fecit:*

Quód queat. vórsipellem ésse hominem cónvenit ‖ Péctus quoi sapit.

Bonús sit bonis, } [isocolon.]
Malús sit malis, }
Ut quaécumque rés est, ita ánimum habeat úsque.
Séd lubet scíre quantum aúrum erus sibi } [homoeopt. κ. κῶλα.]
Dómpsit et quíd suo réddidit *patri.* } [polyptoton
Sí frugist, Hérculem fécit ex *patre* } κ. κῶλα.]
Décumam partem eí ded*it*, síbi novem abstul*it*.
[homoeotel. κ. ἡμιστ.]
Séd quem quaero *ó*ptime eccam *ó*bviam mihist
[homoeoarct.]

In tres autem partes hoc canticum divisum est: in parte I, vv. 1—9, Chrysalus sibi ipse laudationem habet, in parte II, vv. 10—24 exponit, qua virtute servum frugi esse postulet, in III. parte vv. 25—29 ad ipsam fabulae actionem redit. Atque in prima parte tres trochaici octonarii conspiciuntur pro basi, in qua versus ter bini extructi sunt hunc in modum inter se respondentes:

4. 5. 6. 7. 8. 9. Alterius partis hanc figuram adgnovi:

||| 10. 11. || 12. 13. 14. ||| 15. 16. || 17. 18. | 19. | 20. 21. | 22. 23. || 24. |||

Conficitur soliloquium quinque versibus creticis claus. troch., quorum tres priores homoeoptoto et polyptoto κ. τέλος τ. κ. inter se

22. 23. *bacchiac. catalect. Ritschelius descripsit: iamb. monom. habeo.* Ceterum Hermannus elem. p. 220 sq. et rursus in editione quos alios versiculos descripsit, non omnes adferam. Nec minus Studemundus de cant. Pl. p. 20 codicis B descriptionem sanctam habens alios quosdam versus indagavit. Versuum initia in B haec sunt: Hunc — Nam — Erum — Callidum — Compuli — Nunc — Regias — Non mihi — Qui duas — Nequius — Multipotens — Nullus — Nisi qui — Improbis cum improbus — Versipellem — Pectus — Ut quaecumque — Sed lubet — Dempsit — Si frugist — Decimam — Sed quem.

Pers. 778 sqq. trochaicos Reizius descripsit. Ritschelius inde a v. 778 usque ad v. 784 anapaesticos, 785—87 trochaicos posuit, 785—87 anapaesticos disposuerunt Muellerus Pl. Pros. p. 111, Spengelius Ref. p. 158. 59. 785 et 786 anapaesticos adgnovi homoeoarcto adductus. v. 784 haec *libri,* haec haec *scripsi, ut versum acatalect. caperem.* v. 785. Quia ei fidem *libri*; Quia fidem ei *Reizius*, *Bothius*, *Hermannus*, *Ritschelius.* 786. atque in conpedis *libri;* in conpedis *Reizius*, *Fleckeisenus Phil.* II, p. 90. ac conpedis *Bothius.*

[redacted]

conglutinati, duo posteriores, alter homoeoteleuto κ. ἡμ., alter homoeoarctó distincti sunt.

Persa V, 2, 1 sqq. *soliloquium Dordali* tacti circumducti:

778. R. Qui súnt, qui *erunt,* quiqué fu*erunt* quiqué futuri sunt posthac, [homoeotel. κ. διποδ.]
Solús ego omnibus antídeo facile, misérrumus hominum ut vívam.
Perii ínterii. péssúmus hic mihi dies hódie inluxit córruptor:
Ita mé Toxilus perfábric*avit*, *ita*qué meam rem divéx*avit* [epanaph. et homoeot. κ. ἡμιστ.]
782. Vehiclum árgenti miser éieci, neque quam ób rem eieci iam hábeo.
Qui illúm Persam atque omnís *Persas* atque etiam omnis *persónas* [parechesis κ. ἡμιστ.]
Male di ómnes perdant: íta misero Toxílus haec haec mihi cóncivit.
Quia eí fidem non habui árgenti, eo *m*íhi eas *m*achinas *m*ólitust. [homoeoarcton, it. in sq.]
786. Quem pól ego ut non in *cr*úciatum atque in *có*npedis *co*gam sí vivam
— — Sí quidem huc unquam erus rédierit eius, quód spero. sed quíd ego aspicio?

Partes sunt tres: 778—81, 782—85, 786—87, atque concinnitatis schema hoc est:

|| 778. 779. | 780. 781. || 782. 783. | 784. 785. || 786. 787. ||

Versus anapaestici septenarii et octonarii bini alternantur usque ad v. 785. Quod post v. 786. numeri mutantur, aliqua ex parte in cunctatione consistit, quae Dordali iracundiis ex ‚eri' absentia oritur; accedit quod Dordalus hoc versu Toxilum inimicissimum et Lemniselenen libertam potantes videt.

Cas. III, 5, 1 sqq. Pardalisca terrore se percussam esse simulat.

Cas. III, 5, 1 sqq. octonarios disposuit Bothius. In codice B versuum initia haec leguntur: Nulla — Membra — Perfugii — Tanta — Novam. Tettrametri laudantur a Spengelio, Reformv. p. 11.

Núlla sum! núlla sum! tota tota óccid*i*!
Cór *me*tu *m*órtuumst! *mé*mbra *m*iseraé tremunt. [homoeoarcton]
Néscio unde aúxil*i*, *p*raésid*i*, *p*érfug*i*, [homoeoarct. et homoeopt. κ. μέρ. λόγου]
Mi aút opum *c*ópi*am* *c*ónparem aut éxpet*am*. [homoeoarct. et homoeot. κ. ἡμιστ.]
Tánta factís *modo* míra verís *modis* [paregmenon κ. ἡμιστ.]
'Intus vidí novam atque íntegram audáci*am*.

Respondent vv. 1. 3., 2. 5., 4. 6., hunc in modum:

|| 1. 2. 3. | 4. 5. 6. ||

Vv. 1. et 3., 4. et 6. homoeoteleuto firmius inter se conexi sunt.

[redacted]

Conspectus argumenti.

Vita.

Natus sum Ludovicus Buchhold a. d. IX. Kal. Iun. a. h. s. LX in Hassiae pago, qui Ossenheim vocatur, patre Ioanne Iacobo matre Elisabetha ex gente Koehleriana, quos ambos adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum rudimentis a ludimagistro Ossenhemiensi linguarumque Latinae et Graecae a patre imbutus h. s. ab anno LXXII—LXXV scholae quae dicitur reali Friedbergensi interfui. Cuius anni hieme Gissam me contuli eiusque urbis in gymnasium receptus sum. Anno LXXVIII maturitatis testimonium adeptus et civis academiae Gissensis factus philologiae me dedidi atque audivi viros inlustres Clemmium Philippium Onckenum Vullersium per unumque annum adfui proseminario Schulthessio rectore. Bis sexmensibus confectis almam universitatem Lipsiensem adii, ubi per quattuor annos interfui scholis virorum doctissimorum Braunii, Overbeckii, Hildebrandi, Drobischii, Voigtii, Lipsii, Curtii, Langii, Ribbeckii, Heinzii, Eckstcinii, Zarnckii, Gardthauseni, quibus omnibus gratias et nunc ago et semper habebo quam maximas.

[redacted]

[redacted]